BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO BORBONICO
42
4 H
14

Digitized by Google

P. Nicolai Fivini a Valentano ad simpliciter usum 1831

BREVIS
INSTRUCTIO
CIRCA SACRAS
CÆREMONIAS
HEBDOMADÆ MAJORIS
Ex

Accuratioribus Sacrorum Rit. Interpretibus Venetiis primùm Anno 1717. italico idiomate collecta: nunc tandem

Pro aliarum quoque Nationum commodo latinè reddita:

Cui

De novo acceſſerunt notæ ex abſolutiſſimis comentariis in Rubricas Miſſalis & Breviarii Romani

A REVERENDISSIMO AC CLARISSIMO

P. D. CAJETANO MARIA MERATI Clericorum Regularium, vulgo Theatinorum æquè ac Sac. Rit. Congregationis Conſultore nuperrimè in lucem editis plerumque excerptæ unà cum appendice Decretorum S.R C. huc ſpectantium.

Sumptibus Joannis Gaſtl Bibliopolæ Pedeponti.
Monachii, typis Mariæ Magdalenæ Riedlin, 1741.

Ex libris Caroli Barabuglini

Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de univerſis cæremoniis Domûs Domini. *Ezech.* 44. 5.

Auctor Lectori.

EXtra controverſiam profectò eſt, inter omnes Eccleſiaſticas functiones, quotquot Sacrorum Miniſtrorum animos peculiari ſtudio occupatos tenent, recenſeri nullas poſſe, quæ majorem ſibi vendicant attentionem, quàm illæ eædem, diebus *Hebdomadæ Majoris* conſecratæ non ſolùm ob ſummam excellentiam Myſterii, humanæ videlicet Redemptionis, quam nobis repræſentant, ſed & ob frequentiorem concurſum populi maxima cum admiratione, quidquid agitur, ſpectantis ad compunctionem cordis, melioriſque vitæ fructum exinde

capiendum. eapropter liquidò conſtat, quàm juſto ardeat zelo, qui quemlibet ex Miniſtris altaris, prout par eſt, ſuo munere ritè inſtructum eſſe cupit. Hæc porrò cauſa eſt, cur ego animum appulerim ad præſentem inſtructionem adornandam, in qua id præcipuè obſervatur, ut, quamvis citationes brevitatis ergò ſint omiſſæ, clarè nihilominùs luculentérque explanentur omnia, quæ in ordine ad easdem ſacras functiones à Rubricis Miſſalis, melioris notæ Doctoribus, nec non à S. Congregationis Decretis noviſſimè editis ſanctiſſimè præſcripta fuerunt.

EC-

ECCLESIASTICO LECTORI

VERSIONIS NOTARUMQUE EDITOR.

TOt ſanè ſunt, ac tam variæ inter ſe actiones, quibus in Hebdomada Majori doloroſiſſima Paſſionis Dominicæ Myſteria recolit Eccleſia, ut mentem, ſi non opprimant, ſæpiſſimè ſaltem ancipitem reddant dubiámque, quin diſcernere ampliùs valeat, quænam præ altera ſit vel exercenda, vel prætermittenda. ex quo proinde

ſit, plura non rarò immiſceri abſona, quæ ordinem præpoſterè invertunt, ſive aliàs Myſteriorum Sanctitati minimè conveniunt. huic difficultati ut occurrerent Clerici Regulares, vulgò Theatini, Sacrorum Rituum apprimè ſtudioſi; omnes quotquot ſunt, Hebdomadæ Majoris Cæremonias compendiosè in unum collegêre faſciculum, ac Venetiis anno 1717. italico idiomate in lucem emisêre, ea quidem ratione, ut non ſibi ſolis, ſed aliis inſuper quibuscunque Eccleſiis Romano Ritu utentibus uſui eſſe poſſent; nec rerum prolixitas aut faſtidium aut confuſionem pareret. Communi porrò labori cùm

com-

communem deeſſe linguam perſpexiſſem; operæ pretium exiſtimavi, latinum quoque addere ſermonem, quò omnium omninò Nationum commodo cederet. Præterea, quia noveram, à plerisque vehementèr optari, ut minutiſſima, quæ ob brevitatem fuerunt neglecta, ſuis quæquæ locis apponerentur: laudabiles conſuetudines à corruptelis ſecernerentur: diſcrepantes inter ſe auctorum ſententiæ conciliarentur; ſin' minùs, quæ probabiles ſunt, indicarentur: eorum ego votis facturus ſatis, ea qua potui brevitate notas ſparſim hinc inde adjunxi, quibus non ſolùm prædicta omnia ſupplerentur, ſed etiam

A 4 emen-

emendaretur, quidquid ab anno 1717. ad noſtra uſque tempora vel ex poſteriorum Scriptorum conſenſu, vel ex S. R. C. Decretis, aliis atque aliis identidem in lucem promanantibus, emendandum eſſe conjectatur. Ut autem ſcias, Lector Eccleſiaſtice, quanta notæ hæ æſtimatione dignæ ſint; paucis te paritèr monitum volo, eas majori ex parte depromptas eſſe ex abſolutiſſimo opere, quo proximè elapſis annis præclariſſima Commentaria Bartholomæi Gavanti in Rubricas Miſſalis & Breviarii Romæ auxit, ac mirificè illuſtravit Reverendiſſimus P. D. Cajetanus M^a. Merati Clericus Regularis, vulgò Thea-

Theatinus, ſuæ non minùs, quàm Sacræ Rituum Congregationis Conſultor. Hujus illuſtria in Rempublicam Chriſtianam merita comemorare ſupervacaneum puto: ex *Oratoriis* (a) ſiquidem, ac *Polemicis* lucubrationib9 (b), quas olim: quin & ex *Sacrorum Rituum* explanationibus, quas nuper unà cum Theologicis, Criticis, hiſtoricísque diſſertationibus quamplurimis, doctiori neſcio an ſuaviori calamo, felicitèr confecit, ac typis evulgavit, ſatìs ſupérque patet, quàm firma, eáque varia exinde ſuppetant argumenta, quibus Eccleſia-

A 5 ſtici

(a) part. 1. orationum ab Orat. Theat. compoſitarum.

(b) Theolog. Polem. Venetiis 1721. ab eodem impreſſa, ac in duas partes diviſa.

ſtici viri ad inſtillandum virtutis deſiderium, ad infringendum Heterodoxorum aſtum, ad decorem Domûs DEI cuſtodiendum incredibili cum fructu uti poſſunt, neque hîc lucubrationum finis: ſed alia, & quidem nova ad commune Eccleſiæ bonum molitur opera Vir Summus, gravioribus licèt S. R. Congregationis negotiis applicitus. Deus det vires intentioni pares, vitámque conſervet diutiùs, ut ea optato tandem fine coronentur. Ex eodem quoque decerpta ſunt S. R. C. Decreta ad Sacram Hebdomadam Majorem ſpectantia, quorum appendicem in calce hujus Libelli reperies. hoc igitur

qua-

qualicunque labore fruêre, ac mecum ex animo gaude, ſi te ſacroſanctis ſalutiferæ Redemptionis noſtræ Myſteriis recolendis dignè impenderis. Vale.

AP-

APPROBATIO

Reverendiſſimi Ordinariatûs Friſingenſis.

Imprimatur

SIgil. Friſingæ die 25. Januarii
Anno 1741.

(L.S.)

Franciſcus Ignatius Albertus de Werdenſtein ab-& in Dellmeſſingen, Reverendiſſimi & Sereniſſimi DD. Joannis Theodori è Ducibus Bavariæ Epiſcopi & S. R. I. Principis Friſingenſis & Ratisbonenſis &c. Concilii Eccleſiaſtici Vice-Præſes & per Diœceſin Friſingenſem in ſpiritualibus Pro-Vicarius Generalis, Eccleſiæ Cathedralis Canonicus Capitularis ac Officialis.

DO-

DOMINICA IN PALMIS.

De Benedictione Olivarum.

1.

AD Benedictionem, Proceſſionem; & Miſſam hujus diei pulſantur campanæ, prout in ſolemnioribus Feſtivitatibus.

2. In Sacriſtia præparabitur pro Celebrante amictus, alba, cingulum, ſtola, & pluviale violaceum: pro Miniſtris duo amictus, albæ, cingula, duo manipuli, una ſtola cum altera latiore, & duæ planetæ plicatæ viola-

cei

cei paritèr coloris. præterea, Crux proceſſionalis velo violaceo tecta, in cujus ſummitate ramuſculus olivæ benedictæ opportuno tempore figatur. (a) item caſula & manipulus pro Miſſa ſolemni, duo Miſſalia, pulvinar, velum humerale (b), nec non reliqua ad Miſſam cantandam neceſſaria. Pro illis autem, qui Paſſionem ſunt cantaturi, præparantur tres amictus cum tribus albis & cingulis, tres quoque manipuli cum totidem ſtolis violaceis, uti & tria Legilia nuda cum tribus Miſſalibus.

3. A latere epiſtolæ apud altare in loco apto ponatur menſa tapete, ac deſuper linteo mundo cooperta, in qua collocandi erunt rami olivarum ſive aliarum arborum benedicendi. hi porrò juxta morem magìs laudabilem tegantur velo violaceo, uſquedum fiat eorum benedictio. ex eodem quoque

latere

(a) Vitta etiam violacea addatur pro liganda ſuo tempore palma in ſummitate crucis.
(b) Ritualia inſuper pro proceſſione.

latere figatur Crux proceſſionalis in aliquo pede ex lapide ad eam ſuſtentandam confecto. (a)

4. Dum cantatur Tertia, duo Acolythi, prout in Miſſis cantatis fieri ſolet, ſupra credentiam diſponant thuribulum, naviculam, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio : ex altera verò parte vas ſeu urceum ad abluendas manus celebrantis cum pelvi ex argento; item manutergium, quod ſupra aliam pelvim ſit poſitum. dein Thuriferarius unâ & Acolythus calicem, duo Miſſalia, ſtolam latiorem (b) ac velum humerale accipiunt, deferúntque extrà in Presbyterium, ubi quodlibet ſupra credentiam diſtribuunt ordine à Magiſtro Cæremoniarum indicando. Miſſale verò altaris uſque ad orationem *exaudi* manet ibi in eadem credentia ſupra

pra

(a) Altare hac die parcè paretur non cum floribus vel imaginibus ſolemnitatem indicantibus; inter candelabra tamen interponi poterunt rami Olivarum auro vel argento decentèr ornati. antipendium ſit violaceum.

(b) Vittam violaceam.

pra pulvinar apertum : ac tandem accenſis candelis altaris, factíſque ſolitis genuflexionibus redeunt in Chorum, reportantes ſecum duo (a) candelabra minora,

5. Completâ Tertiâ, à latere Evangelii proceditur, prout in reliquis Dominicis, ad aſpergendum tam Chorum, quàm populum : quo peracto cantatur de more oratio *exaudi*, ac interea Thuriferarius, vaſe aquæ benedictæ collocato ſupra credentiam, ex ea Miſſale (b) ad altare in cornu epiſtolæ transfert: Magiſter verò Cæremoniarum palmas diſcooperit.

6. Dicta oratione *exaudi* celebrans ad altare cum Miniſtris aſcendens, illud in medio oſculatur : deinde accedens ad cornu epiſtolæ, adſtantibus Miniſtris, Diacono videlicet à dextris Celebrantis, & Subdiacono à dextris Diaconi, legit non ſe ſignans, antiphonam *Hoſanna*, quam interim Canto-

(a) ubi ſuper altari fuerint.

(b) apertum cum pulvinari.

tores inchoant, & chorus proſequitur. Expletâ antiphonâ, Celebrans junctîs manibûs (a), nec ſe convertens ad populum, dicit *Dominus vobiſcum* & Orationem immediatè ſequentem in tono feriali. Interim verò, dum Celebrans cantat Orationem, Subdiaconus, præcedente Acolytho, vadit ad credentiam, ubi depoſitâ planetâ, ſumptóque ambabus manibus miſſali, accedit ad locum ſolitum pro cantanda, proüt de more, epiſtolâ. (b)

7. Poſt epiſtolam cantatam Subdiaconus, factis ante & poſt debitis genuflexionibus, pergit ad Celebrantem ad accipiendam ab eo (c) benedictionem; inde (d) reverſus ad creden-

 tiam,

(a) Manus ſemper debent teneri junctæ ad orationes in benedictionibus. ex *Miſſali*. quocirca celebrans non ſolùm *Oremus* dicit junctis, nec deductis manibus, ſed & totam orationem. ad *Oremus* tamen caput cruci inclinat de more.

(b) Quam interim dum Subdiaconus cantat, Celebrans ſubmiſsâ voce legit, ſi velit: aſſiſtente ſibi Diacono, qui in fine Lectionis reſpondet *Deo gratias*.

(c) cum oſculo manûs Celebrantis.

(d) redditô priùs miſſali clausô vel cæremoniario, vel Acolytho.

tiam, planetam plicatam reſumit, ac illicò redit ad Celebrantem, ibíque eidem aſſiſtit. Diaconus ſimilitèr, dum cantatur Reſponſorium, ſe confert ad credentiam, ac depoſitâ ibi planetâ plicatâ, ab Acolytho ſtolâ latiori induitur: poſtea Miſſale defert ſuper medium Altaris in plano, ubi tamdiu ſubſiſtit, uſquedum Celebrans lectionem Evangelii (a) terminaverit. Poſt hanc Diaconus aſcendit ad altare ſupra ſuppedaneum, & collocato ibi in medio Altaris cum debitis inclinationibus Miſſali, miniſtrat incenſum more ſolito, dicit *munda cor meum*, petítque benedictionem à Celebrante, quâ acceptâ cum Subdiacono & Ceroferariis, ſicut in Miſſis ſolemnibus fieri conſuevit, ad cantandum Evangelium procedit.

8. Finitò Evangeliô, Subdiaconus defert librum oſculandum Celebranti, qui, datò oſculo, ter à Diacono cum debitis reverentiis incenſatur. His omnibus præſtitis, Acolythus, cui à Sub-

(a) in cornu Epiſtolæ.

Subdiacono redditum eſt miſſale, comitatur Diaconum ad credentiam, ubi is depoſitâ ſtolâ latiori, reſumit planetam plicatam, ac denuò redit etiam ipſe ad aſſiſtendum Celebranti. (a) Thuriferarius, acceptò thuribulò, factâque genuflexione, regreditur in Chorum, atque illud deponit. Ceroferarii pariter, repoſitis in Presbyterio ibi ſupra credentiam candelabris, in Chorum revertuntur.

9. Celebrans, poſtquam fuerit thurificatus in fine Evangelii, habens poſt ſe Miniſtros rectâ lineâ ſtantes, junctîs manibûs in cornu epiſtolæ dicit orationem in tono feriali; & in fine præfationem uſque ad *Sanctus* (b); quod dum in Choro cantatur, more ſolito ſubmiſsè dicit unà cum Miniſtris, qui propterea ad eum accedere debuerunt, prout in antiphona *Hoſanna.* Deinde illis recedentibus, ut prius, poſt eum; ipſe

 pro-

(a) advertat tam Diaconus, quàm Subdiaconus, quòd ſive in acceſſu, ſive in receſſu debitas ſemper genuflexiones in medio præmittere debeant.

(b) manibûs ſemper junctis.

proſequitur benedictionem Palmarum (a). cùm verò Celebrans ramos dexterâ benedicit ſigno Crucis, ſiniſtram ſuper Altare ponat, ac Diaconus anteriorem fimbriam pluvialis elevet.

10. Sub initium tertiæ orationis Thuriferarius intrat in Chorum ad accipiendum thuribulum cum navicula: nec cunctatur, ſed ſtatim egreditur, & finitâ quintâ oratione, unà cum Acolytho vas aquæ benedictæ in manibus tenente, propè Diaconum accedit, in cornu epiſtolæ aſcendendo. tunc naviculam offert Diacono, quo cum ſolitis oſculis cochlearis manúſque Celebrantis eam miniſtrante, idem Celebrans ter imittit incenſum in thuribulum, illud more conſueto benedicens.

11. Incensô miniſtratô, Acolythus aſperſorium Diacono porrigit (b), Diaconus Celebranti cum ſolitis oſculis. ipſe

(a) interim, qui ſunt in Choro, ſtant detectô capite, & inclinant ſe, cùm nomen JESU profertur.

(b) ſine oſculis.

ipſe autem ramos aſpergit ter (a), dicendo ſubmiſsâ voce antiphonam: *Aſperges me &c.* (b) & ſine intervallo ter etiam adolet (c) incenſo. Diaconus verò elevat fimbriam pluvialis tam in aſperſione, quàm in incenſatione prædictâ. His peractîs, Acolythi factâ genuflexione recedunt, ac redditum ſibi aſperſorium cum thuribulo in choro deponunt, ut expediti ſint ad aſſiſtendum diſtributioni Palmarum. Eodem ferè tempore Magiſter Cæremoniarum, quodam Clerico juvante, colligatas Palmas ſolvit, ac eas ad diſtributionem parat.

12. Completâ benedictione, à latere Evangelii (per quam viam reliqui omnes prodibunt) Clerico comitante, à Choro procedit dignior, qui ſtolam violaceam ſupra ſuperpelliceum è col-

(a) id eſt, in medio, à dextris ramorum, & à ſiniſtris eorum.

(b) ſine cantu, ſine pſalmo, verſum illum tantùm.

(c) eodem modo, quo aſperſit; nihil tamen dicens.

lo pendentem habens (a), factâ genuflexione, Palmam à Magiſtro Cæremoniarum (b) recipit, quam deoſculando (c), ſtans porrigit Celebranti facie ad populum converſa tunc ſtanti. Hanc porrò Celebrantis Palmam Subdiaconus ſupra altare reponit, donec proceſſio fiat.

13. Dein Celebrans incipit diſtribuere ramos: primò quidem digniori (d), à quo ipſe accepit, & eo recepto, præfatus dignior regreditur à latere epiſtolæ in Chorum, quod & cæteri ſucceſſivè omnes in regreſſu obſervabunt. Tum Celebrans pergit diſtribuere

(a) præſens diſpoſitio de ſtola à Digniori in acceſſu ad recipiendam Palmam geſtanda videtur facta ſecundùm antiquiſſimam, imò immemorialem conſuetudinem Clericorum Regularium ſuum hac in re Caſtaldum in Cæremon. lib. 3. c. 8. n. 11. item cit. lib. c. 13. n. 8. & c. 14. n. 9. conſtantèr ſequentium. Cæterùm S. R. C. contrarium expreſsè ordinat Decretô, 14. Februarii 1705. in *una Capucinorum Galliæ*, emanatô, ac infrà in noſtra *Appendice Decretorum* poſitô ſub num. 67.

(b) vel aſcendens ſupra gradum Altaris proximiorem ſuppedaneo, de manu Diaconi.

(c) & non manum Celebrantis.

(d) ſtanti, & inclinato tantùm, ſi ſit Canonicus, ex S. R. C. Decretô 30. Auguſti 1664. editô, ac infrà in Append. Decret. poſitô ſub num. 47. genuflexo verò, ac manum Celebrantis oſculanti, ſi non ſit Canonicus, ſed alius inferior in Eccleſiis non Collegiatis, præſertim Regularium, ex S. R. C. Decreto 14. Februarii 1705. infrà poſitô ſub num. 67.

buere miniſtris: ac demum reliquis de Clero ſecundùm ordinem, & uniuscujuslibet gradum ac dignitatem accedentibus, qui omnes ibi (a) genuflexi ramum accipiunt (b), primò ramum, dein manum Celebrantis oſculantes (c). Diaconus, mutato interim loco, ſtet à ſiniſtris, & Subdiaconus à dextris Celebrantis (d): quæ quidem locorum mutatio eo fine fit, ut prior, nempe Diaconus, acceptos à Cæremoniario & ab Acolythis (e) ramos faciliùs porrigere queat Celebranti. Advertat præterea Diaconus, ut in porrectione ſingulos ramos deoſculetur. (f)

14. Incipiente ramorum diſtributione, ſtatim, & non priùs, Cantores in Choro intonant antiphonam *Pueri Hebræorum &c.* quam Chorus alternativè repetit cum altera ſequente, quouſque terminata fuerit tota ra-

(a) in gradu Altaris proximiori ſuppedaneo.

(b) dexterâ.

(c) advertent pariter, ne inter deſcendendum directè terga vertant Celebranti.

(d) ambo hi, repoſitis palmis ſuis ſupra altare, vel etiam traditis alicui Clerico, ut eas ſupra credentiam ponat; fimbrias pluvialis hinc inde elevatas tenent.

(e) qui neque palmam, neque Diaconi manum oſculantur.

(f) non verò manum Celebrantis.

ramorum diſtributio: nec unquam ceſſare, ſed ſemper in Choro aliqui eſſe debent, qui ad decentèr cantandum ſufficiant. Quocirca bini & bini ita procedant, ut poſt reditum priorum ii cantent, aliíque ſucceſſivè exeant ad palmas capiendas. At, ubi frequens populi concurſus fuerit, poterit ad impediendum non minùs omnem circa cancellos irreverentem ſtrepitum, quàm ad Celebrantem ſublevandum deſignari unus aut duo Sacerdotes, qui ſuperpelliceo ac ſtolâ violaceâ induti, concurrentibus tum viris, tum mulieribus ramos diſtribuant: Clerici quoque deſignati Sacerdotibus ramos miniſtrent: non tamen ipſi eos diſtribuant.

15. Circa finem diſtributionis Thuriferarius, depoſitâ, priùs palmâ, ſumit thuribulum & naviculam. Ceroferarii verò urceum & pelvim in manibus tenentes egrediuntur à latere Epiſtolæ, ibíque completâ diſtributione porrigunt in plano aquam Celebranti ad lavandas manus, dein ſine mora

in

in chorum redeunt. Si autem Celebrans ipſe palmas ad cancellos non diſtribuerit; tunc non in plano, ſed ſtans in cornu epiſtolæ, ùt moris eſt in Miſſis, ibi manus lavabit. Nec dicatur, quòd Caſtaldus hanc manuum lotionem non præcipiat. Nam quamquam hic auctor in præſenti loco, tractans de agendis in Dominica Palmarum, de ea mentionem non faciat: eam tamen expreſſis verbis ordinat, ubi tractat de benedictione candelarum. Celebrans poſtea lotis manibûs dicit *Dominus vobiſcum* cum oratione ſequente, ſub qua & manus junctas tenebit, & reliqua, quæ de aliis hujusmodi orationibus dicta jam ſunt, ritè obſervabit.

De Proceſſione & Miſſa ſolemni.

1. ORatione finita, Celebrans redit ad medium Altaris, ubi accedente Thuriferario & Acolytho cum thuribulo & navicula

more ſolito imponit, ac benedicit incenſum, & Diaconus naviculam, Thuriferarius thuribulum miniſtrat(a). Tum Miniſtri Sacri deponunt manipulos, tradúntque Cæremoniario. Subdiaconus verò in medio plani Presbyterii accipit ab Acolytho deferente crucem proceſſionalem (b): Ceroferarii ſimilitèr à latere Evangelii exeunt, & acceptis ſuis candelabris, unus ad dextram, & alter ad ſiniſtram Subdiaconi.

(a) Interim aliquis Acolythus infiget, ſeu vittâ violaceâ ligabit in ſummitate Crucis proceſſionalis, velo violaceo tectæ, ramuſculum ex palmis benedictis.

(b) vel ſi uſus ſit, poterit crux proceſſionalis etiam intra Chorum retrò poſt altare collocari: tunc autem eo in caſu Ceroferarii, dum incenſum miniſtratur, à latere Evangelii exeunt in Presbyterium, ſumunt ſua candelabra ibi ſupra credentiam poſita, ac ea in Chorum aſportant, dein verò ſtatim in Presbyterium iterùm ex eodem latere procedunt cum Clerico ſeu Acolytho, ſuperpelliceo induto, qui medius inter ipſos crucem proceſſionalem defert ad Subdiaconum, extrà ad altare ſupra infimum gradum tunc ſtantem, illíque eam tradit: prout expreſsè ordinatur in libello Sacrarum Cæremoniarum Neapoli anno 1704. à Clericis Regularibus italicè edito, fol. 8. & 9.

ni ſe ſiſtit, expectantibus retrò poſt ipſos Thuriferario & Acolytho. Mox Diaconus ſtans cum Celebrante in cornu epiſtolæ, eidem palmam præbebit cum ſolitis oſculis, ac poſtquam unà cum ſuo biretum quoque Celebrantis receperit à Cæremoniario, converſus ad populum (a), cantabit voce alta: *procedamus in pace* (b): cui reſpondebit Chorus: *in Nomine Domini, amen.* Poſt hæc, & non priùs, Celebrans ſe faciе ad latus Evangelii convertit.

2. Reſponſo à Choro: *in Nomine Domini, amen* (c): ſtatim ordinatur proceſſio hoc modo: præcedit omnium pri-

(a) per latus ſuum dexterum, ſtánsque in ſuo gradu poſt Celebrantem.

(b) & continuò Diaconus ſe convertit ad altare, nullâ factâ genuflexione.

(c) Celebrans tunc, & non priùs, factâ debitâ reverentiâ altari, deſcendit in planum, ubi à Diacono accipit biretum, quod unà cum ſuo Diaconus etiam tunc (nempe ſtatim poſt deſcenſum) juxta aliquos recipere poſſet à Cæremoniario vel Clerico aliquo, & dein Celebranti illud porrigere.

primus (a) Thuriferarius cum thuribulo (b), habens pro ſocio Acolythum (c): ſequitur poſtea Subdiaconus cum Cruce (d), medius inter duos Ceroferarios, qui ſibi notent, ut in locis anguſtis, ubi tranſeundum erit, uno paſſu Cruciferarium antecedant, ſtatim dein æqualitèr denuò, ùt antea, cum ipſo progredientes. poſtea ſequuntur reliqui ex Clero ſecundùm ordinem bini & bini (e), ita ut quilibet eorum ſit ſuperpelliceo indutus, & ramum benedictum in una, biretum in altera manu geſtet, advertendo ſemper, quòd ille, qui eſt à dextris, ramum tenere debeat dexterâ, ſiniſtrâ verò biretum cum

(a) juxta cæremoniale Epiſcoporum Thuriferarius & Acolythus primi eſſe minimè deberent, ſed Cantores. at intelligendum id eſt, ſi Cantores ſint muſici & Laici. Si verò ſint Clerici, tunc uſus communior habet, ut eant immediatè poſt crucem.

(b) fumigante.

(c) cum navicula.

(d) habente crucifixi effigiem, quæ Thuriferarium præcedentem reſpiciat.

(e) ſi numerus eorum ſit impar, Senior vel Superior procedat medius inter duos.

cum libro: & ille, qui eſt à ſiniſtris, vice verſa ſe gerere. Ultimus omnium erit Celebrans habens Diaconum à ſiniſtris, qui ambo inceſſu pari atque gravi progrediuntur (a) à latere Evangelii (b) versùs portam in eodem latere ſitam, ſuppoſito quòd Eccleſia plures portas habeat.

3. Celebrante per gradus Altaris deſcendente, Cantores inchoant antiphonas, quas proſequitur chorus; & ſi proceſſio ſit brevis, aliquæ omittuntur; ſi verò ſit longior, aliquæ repetuntur, ita ut cantus illarum duret, quamdiu proceſſio durat. Cùm extra Eccleſiam pervenerint, Celebrans & Clerus caput tegunt, non verò miniſtri altaris

(a) cum ramis in manibus.

(b) niſi aliud ſuadeat loci ſitus; aut conſuetudo legitimè introducta, ad quam reſpexiſſe videntur Quarti & Caſtaldus; dum ſcripſerunt, à latere epiſtolæ incipiendam, & ad latus Evangelii terminandam eſſe proceſſionem.

ris (a). quando autem fuerint ante portam maiorem Eccleſiæ, quatuor Cantores à Cæremoniario deſignati, & non plures, tempeſtivè intrant in Eccleſiam, cujus fores clauduntur à cuſtode Laico. Subdiaconus ad easdem fores adveniens crucem ſiſtit ante oſtium, medius inter Ceroferarios: Thuriferarius & Acolythus, quilibet à latere propè unum ex Ceroferariis manet: Celebrans cum Diacono à ſiniſtris ſtat directè reſpiciens crucem, quæ ita tunc teneatur (b), ut imaginem crucifixi ad ipſum Celebrantem converſam habeat: Clerus verò ſe dividit in duas par-

(a) Si unum duntaxat Diaconum excipias; dè quo jam dictum eſt ſuprà; quòd ſuum bireturn ſecum ferat, non utique fruſtra; ſed ad ſe ſuo tempore cooperiendum. Immò non deſunt viri graviſſimi, qui cum Gavanto & Meratio æquè benè docent, in tota hac proceſſione tam Celebrantem, quàm Diaconum tecto capite incedere debere.

(b) multi etiam cum Nicolao de Bralion in eâ ſunt opinione, Subdiaconum videlicet debere tenere crucem eodem modo, quo proceditur in proceſſione, præſertim cùm ſit percuſſurus portam Eccleſiæ, in quo actu eodem modo procul dubio eam tenere debet.

partes è duobus lateribus Celebrantis. Tum cantores, qui ſunt intùs, cantant (a) duos verſus priores: *gloria*, *laus*, *& honor &c.* quos Chorus extrà integrè repetit. Deinde Cantores iidem proſequuntur alios duos ſequentes verſus, & poſt eos Chorus repetit priores verſus: *gloria*, *laus &c.* & ſic deinceps cantores dicunt reliquos verſus, choro ſemper extrà repetente priores: *gloria*, *laus &c.* Celebrans interim tecto, reliqui nudo capite (b) ſub dicto cantu ibi ſtabunt.

4. Prædictis verſibus ita decantatis, Subdiaconus ad nutum Celebrantis, ima parte haſtilis crucis (c) ſemel percutit

(a) facie converſa ad oſtium.

(b) non improbat tamen doctiſſimus Meratus eorum uſum, qui tecto capite ibi ſtare ac cantare ſolent: nam ſicut extra Eccleſiam omnes, & non ſolus Celebrans, procedere poſſunt tecto capite, & aliunde ea, quæ ibi ad portam fiunt, ad proceſſionem pertinent; ita videtur, omnes quoque, & non ſolum Celebrantem, ibi tecto capite ſtare poſſe. Hæc praxis, frigore vel pluviâ urgente, locum præcipuè habere poteſt.

(c) & crucifixi effigies, dum percutitur porta, teneatur non ampliùs converſa ad Celebrantem, ſed ad portam, videlicet eo modo, quo tenetur procedendo.

cutit levitèr (a) imam partem portæ Eccleſiæ, quâ ſtatim à Cantoribus, (b) non verò à cuſtode apertâ, ingreditur (c) Proceſſio ordine jam dicto: mox Cantores incipiunt ℟. *ingrediente Domino &c.* & Chorus illud proſequitur. iidem Cantores quoque dicunt ℣. *cùm audiſſet &c.* Chorúsque reſpondet, nec tamen in fine dicitur ℣. *gloria Patri* (d) *&c.*

5. Cùm autem Subdiaconus ad altare pervenerit, unà cum Ceroferariis, ac præeuntibus Thuriferario & Acolytho, hisq; genuflexionem ibi facientibus, intrat in chorum, ſuppoſito, quòd Sacerdos;

(a) ita tamen, ut fragor audiri poſſit ab iis, qui ſunt intùs.

(b) ad intrà ſtantibus.

(c) dum inceditur per Eccleſiam, non pulſatur campanula, ſi fortè ſub quadam Miſſa elevatio SS. Hoſtiæ aut Calicis fieret: ſi tamen pulſetur, & advertatur elevatio: tunc à tranſeuntibus ante illud altare omninò genuflectendum eſt utroque genu uſque ad depoſitionem Sacramenti S. R. C. 1. Martii 1681. excipitur nihilominùs à Caſtaldo l. 2. c. 17. Crucem deferens cum Ceroferariis, qui tunc non genuflectunt.

(d) ſed ſi longior ſit proceſſio, repeti poterit eadem antiphona.

dos, qui ramos benedixit,non idem ſimul etiam Miſſam cantet. In choro dein crucem deponit, ac ibidem expectat, donec Celebrans cum Diacono adveniat. Tunc omnes ſimul in Sacriſtiam ſe conferunt.

6. At ſi idem Sacerdos, qui ramos benedixit (prout magis conveniret) Miſſam quoque celebret: tunc Subdiaconus, ſtatim ac ad altare pervenerit, facta genuflexione,deponit (a) crucem propè credentiam à latere epiſtolæ, quæ ſine mora ab uno Acolythorum in Sacriſtiam defertur. Ceroferarii, depoſitis ſupra ſolitam credentiam candelabris, recedunt in chorum: Subdiaconus verò unà cum Thuriferario expectat, donec Celebrans cum Diacono paritèr ad altare pervenerit. Interim Acolythus vadit ad accipiendã planetam & manipulum Celebrantis.

7. Celebrans ibi ad infimum gradum altaris exiſtens, ſuam palmam

 cum

(a) vel,ùt Meratus part. 2. tom, 1. fol 1047. n. XI. e tit. Rom. Addit. ad Gav. vult, genuflexione prætermiſsâ,

cum bireto tradit Diacono, qui ea unâ cum palma ſua propria (a) Acolytho conſignat. Poſtea celebrans (b) deponit pluviale, & à Diacono planetâ, à Subdiacono manipulo induitur. demum cum Miniſtris, qui proprios quoque manipulos à Cæremoniario acceperunt, (c) Miſſam ſolemnem inchoat. interim verò Acolythus pluviale in Sacriſtiam reportat.

8. Miſsâ jam inceptâ (ad quam obſerventur præſcripta pro Miſſis cantandis in Dominicis Quadrageſimæ (d) tres, qui Paſſionem ſunt cantaturi, parant ſe in Sacriſtia habitu Diaconali, videlicet unusquisque eorum induit ſe amictu, alba, cingulo, ac ſtolâ violaceâ (e), ut opportunè adſint ad cantandam Paſſionem. Subdiaconus, quando in epiſtola pronuntiabit illa verba:

ut

(a) nec non cum bireto ſuo proprio.

(b) poſtquam factâ debitâ reverentiâ, ſe aliquantulùm ad cornu epiſtolæ retraxit.

(c) iterùm ad medium altaris ante infimum ipſius gradum accedens.

(d) ac præſertim Paſſionis.

(e) ab humero ſiniſtro ad dextrum latus pendente.

ut in nomine JEſu &c. genuflectet (a) uſque ad illa alia verba, *& inferorum*, incluſivè: reliquis de Choro ſimilitèr genuflectentibus. Celebrans verò genuflectit cum Diacono à ſiniſtris ejus ſupra ſuppedaneum ante medium (b) Altaris.

9. Finitâ epiſtolâ, Subdiaconus accedit ad Celebrantem ad accipiendam ab eo more ſolito benedictionem (c), reſumptâque dein ad credentiam planetâ plicatâ, poſt Diaconum redit ad aſſiſtendum Celebranti. Interim tres Acolythi à Cæremoniario deſignati, à latere Evangelii tria legilia nuda extrà in Presbyterium portant, & factâ ex eodem latere genuflexione, ea collocant (d) in loco, ubi cantari ſolet E-

 van-

(a) uſque ad terram.

(b) limita tamen, niſi Celebrans eſſet impeditus ad alia dicenda, puta *graduale*, vel *Tractum*: quia tunc ibidem cum Diacono deberet genuflectere, & non in medio.

(c) oſculatur Subdiaconus manum Celebrantis, & librum Acolytho tradit.

(d) rectâ lineâ tendente ab ortu ad occaſum in plano.

vangelium. Dein ſtatim iterum in Chorum regrediuntur à latere epiſtolæ, factâ priùs genuflexione in medio.

10. Circa finem Tractûs Cantores Paſſionis procedunt (a) à Sacriſtia ad Presbyterium per oſtiolum è latere epiſtolæ, ſequenti ordine: antecedit Cæremoniarius cum tribus Acolythis (b): tum ille, qui agit Evangeliſtam, ſolus: dein ſequitur, qui Turbarum perſonam agit: ultimus, qui refert perſonam Chriſti. Quilibet ex Cantoribus defert ſuum Miſſale ambabus manibus rectà ante pectus, & cùm pervenerint ad altare, præfati tres Diaconi Cantores genuflectunt in medio (c), ita ut qui perſonam Chriſti agit, ſit medius: qui Evangeliſtæ, à dextris: & qui Turbarum, à ſiniſtris. Similitèr & Acolythi poſt ipſos genuflectunt (d). Mox ac-

(a) omnes nudo capite.

(b) diverſis à Clèricis ſeu Acolythis Officii, indutis ſuperpelliceo ſine candelabris, & ſine incenſo, ſed manibus junctis.

(c) ſupra infimum gradum pauſantes aliquantulùm, ſed nihil dicentes.

(d) in plano cum Cæremoniario.

accedunt (a) ad legilia iisdem Acolythis aſſiſtentibus, qui ſe ſiſtunt retrò à legilium tergo, ita ut faciem erga Cantores Paſſionis converſam habeant, nec palmas manibûs geſtent, quia tunc ſe gerunt, ac ſi Miſſale ſuſtentarent. Quòdſi verò alii vellent, ut dicti Acolythi (Ceroferariorum more) à lateribus ſtarent: eo in caſu locum habere poſſet opinio Caſtaldi, qui duntaxat duos Acolythos cum palmis in manibus ad aſſiſtentiam requirit. (b)

11. Cùm Evangeliſta Paſſionem inchoat

(a) non petitâ, nec obtentâ benedictione, ſed factâ iterum altari genuflexione, & Celebranti inclinatione.

(b) dubium hìc occurrit, quo ordine Cantores ſub cantanda Paſſione ſtare debeant? ſunt qui cum Gavanto, Bauldry, Ven. Card. Thomaſio aliisque volunt, eum qui agit Evangeliſtam, medium eſſe debere; qui refert Chriſtum, à dextris: & qui Turbas, à ſiniſtris Evangeliſtæ. Alii econtra cum Caſtaldo, Biſſo, Lohner &c. exiſtimant, eum qui agit perſonam Chriſti, in medio; qui Evangeliſtæ, à dextris, & alterum à ſiniſtris ſtare debere. Meratius vir in explicandis ſacris Ritibus eximius priorem hac in re ſententiam præeligendam eſſe cenſet, utpote ultra autoritates graviſſimorum DD. praxi Capellæ Papalis conformem.

choat (a), Celebrans ſtans in cornu epiſtolæ, Palmam à Diacono recipit, ac ſiniſtra manu tenet. Dein Miniſtris ſacris ſtantibus penès eum, ùt in introitu Miſſæ, palmas etiam ipſis ſiniſtra manu tenentibus (b), ſubmiſſa voce Paſſionem legit, paululùm converſus ad Cantores ejusdem. Thuriferarius paritèr & Acolythus ſtant cum palmis in manibus, facie tamen versùs altare conversâ. Omnes quoque, qui in Choro exiſtunt, ſub Paſſione Palmas in manibus tenebunt.

12. Celebrans in hac ſua privata lectione Paſſionis ad verba: *emiſit Spiritum*: non genuflectit (c), ſed pergit uſque

(a) inchoat autem abſolutè, non præmiſſo *Dominus vobiſcum*: nec librum ſignat, nec ſeipſum.

(b) poſt lectam tamen à Celebrante Paſſionem exiſtimat Nicolaus de Bralion, tam Celebrantem, quàm miniſtros tenere debere palmas manu dexterâ, ſiniſtrâ pectori admotâ.

(c) juxta communiorem Clericorum Regularium vulgò Theatinorum praxim, pro qua ſtat Gavantus, Bauldry, Vinitor, Biſſus & alii, quamquam in contrarium obſiſtant Caſtaldus, Nicolaus de Bralion, ac noviſſimè Meratius, genuflectere tunc Celebrantem debere prætendentes.

que ad illa : *contra ſepulchrum.* Lectâ demum uſque illuc Paſſione, ipſe Celebrans cum Miniſtris & Acolythis ſe vertit ad Cantores, & Diaconus ſtat ad ejus ſiniſtram, Subdiaconus ad ſiniſtram Diaconi, omnes cum Palmis in manibus: & ita manent, donec tota Paſſio fuerit cantata, advertentes duntaxat, quòd omnes, tam Celebrans quàm Miniſtri & Acolythi, versùs crucem, Cantores verò versùs Miſſalia caput inclinare debeant, quoties nomen *JESU* profertur. Paulò ante illa verba: *JESUS autem*, quæ ab Evangeliſta cantantur; Celebrans & Miniſtri accedunt ad medium altaris, deſcendentes uſque ad ſecundum gradum, & genuflectunt ſupra ſuppedaneum utroque genu. Similitèr genuflectunt Cantores ad eadem verba : *emiſit Spiritum*, ſed versùs legilia; Clerici verò versùs crucem: ſícque genuflexi pauſant aliquantulùm, per ſpatium ſaltem unius *Pater noſter.*

13. Signum ſurgendi dat (a)Diacono Evangeliſtæ vel Celebrans, ut vult Caſtaldus, vel Cæremoniarius, ùt aliis placet (b): quo dato, omnes ſe erigunt (c), & Cantores proſequuntur ea, quæ remanent de Paſſione. Subdiaconus autem, traditâ ſuâ Palmâ in manus Acolythi, transfert in cornu Evangelii Miſſale Celebrantis, hicque more ſolito in medio altaris dicit: *munda cor meum &c.* ac *jube Domine &c.* & nec ſe, nec librum ſignans, legit reliquam partem Paſſionis, quæ Evangelii locum tenet, aſſiſtente ſibi Subdia-

(a) ſine ſtrepitu manuum, nec alio modo, niſi tantùm ſurgendo.

(b) vel ipſum ſurgere Evangeliſtæ inſervire poterit pro ſigno ſurgendi.

(c) redeuntes ad locum ſuum, ubi erant prius.

diacono, qui etiam in fine reſpondet: *Laus tibi Chriſte.* (a)

14. Poſtquam Celebrans cum Miniſtris (ùt dictum eſt ſuprà) ſe erexerit, Thuriferarius vadit in Sacriſtiam ad accipiendum thuribulum cum prunis accenſis, & ſtatim exit denuò ad altare, à quo Diaconus quoque diſcedit, ſéque confert ad credentiam, ubi depoſitâ planetâ plicatâ, ſtolam latiorem ſumit: dein deferens Miſſale, tamdiu manet in medio plani, donec Cantores Paſſionem, Celebrans verò Evangelium compleverit(b). 15.

(a) juxta Cæremoniale Epiſcoporum deceret, ut Celebrans non poſt pauſam immediatè, ùt fit à multis, cum indecenti præcipitatione, ſed cantatâ omninò à Cantoribus Paſſione, ultimam Evangelii partem in cornu Evangelii legeret, & Diaconus Miſſæ ad credentiam pro accipiendo ſuo Miſſali, tunc primùm accederet, ac *munda cor meum* diceret, quando tria legilia, quæ inſervierunt pro Cantoribus Paſſionis, amoventur. Interim dum hæc cum tali mora & gravitate peraguntur, omnes de Choro ſedere poſſunt.

(b) ſi verò Celebrans non poſt pauſam immediatè, ſed poſt cantatam à Cantoribus Paſſionem, ultimam Evangelii partem legat, tunc Thuriferarius & Diaconus ad ſua reſpectivè munia diſcedunt, non poſt pauſam, ſed poſt cantatam integrè Paſſionem.

15. Paſſione cantatâ, Cantores reſumunt ſua Miſſalia, & ante pectus ea tenentes, eunt in medium eodem ordine, quo venerunt, factáque unà cum Acolythis altari genuflexione, Celebranti verò inclinatione, ſtatim à latere epiſtolæ in Sacriſtiam redeunt, Acolythis illicò à latere Evangelii exeuntibus ad amovenda legilia, quæ in Chorum aſportantur. Poſt hos egrediuntur ſimilitèr Ceroferarii, qui ſine candelabris, cum palmis duntaxat in manibus, Evangelio cantando aſſiſtunt.

16. Poſt diſceſſum trium Cantorum in Chorum, Diaconus accedit ad deponendum cum debitis reverentiis Miſſale in medio altaris, & miniſtrato priùs incenſo more conſueto, genuflexus dicit *munda cor meum &c.* poſtea petit benedictionem à Celebrante; vadit cum libro ad locum, ubi cantari ſolet Evangelium, incenſat librum, &, nec ſeipſum, nec librum ſignans, cantat Evangelium, quo finito Subdia-

diaconus defert Miſſale oſculandum Celebranti, & Diaconus ipſum incenſat. Reliqua omnia fiunt, ùt moris eſt in hujusmodi Miſſis ſolemnibus (a). In fine Miſſæ hujus ſolemnis legitur Evangelium S. Joannis: *in principio &c.* & eo dicto, intrant in Sacriſtiam omnes cum Palmis in manibus, exceptîs ſolîs Ceroferariîs, qui cum Candelabris præcedunt.

De Matutinis Tenebrarum.

1. ALtare pro Officio Feriæ Quartæ Majoris Hebdomadæ paretur Paramentis violaceîs absque floribus, aut alio ornatu. Supra illud ſint ſex duntaxat Candelabra ex ære, ſive ex alia quadam Metalli ſpecie, obſcurâ tamen: nec aliæ ibi ſuperimpoſitæ ſint candelæ, niſi ſex ex cera communi, id eſt, flavâ. Attamen

(a) poſt elevationem Chorus reſumit ramos Palmarum, qui, eâ finitâ, iterum deponuntur.

men pro Completorio ſuper Altare apponuntur duo Candelabra minora, quæ candelas ex cera alba habeant. In plano Presbyterii à latere Epiſtolæ (a) collocatur Candelabrum Triangulare (b), ſuper quo quindecim figuntur Candelæ (c) paritèr ceræ communis. SS. Sacramentum, ſi eſt in altari, ante quod dicendum eſt Matutinum, omninò removeatur paulò ante Completorium, & cum debitâ reverentiâ in aliquod Sacellum transferatur. (d). Serventur autem in illo Sacello lampades accenſæ, quæ nunquam extingui debent, quamdiu ibi aſſervatur SS. Sacra-

cra-

(a) in loco, in quo Subdiaconus ſtare ſolet, dum cantat Epiſtolam.

(b) ligneum.

(c) Hinc inde gradatim in æquali diſtantiâ inſurgentibûs ſeptenîs clavîs ferreîs, & in ſupremo loco decimumquintum habentibus cum ſuis ubique lucernulis, ſeu girellis, opere tornatili, ſi fieri poteſt, elaboratis, ſintque candelæ prædictæ duarum aut trium circitèr unciarum, & quotidie hoc Triduo renoventur.

(d) in Altari, à quo removetur SS. Sacramentum, debet relinqui oſtium Tabernaculi apertum, ne adoretur, quod ibi non eſt.

cramentum. Præterea in Choro præparetur legile nudum cum Breviario ſuperimpoſito, quod dein ad cantandas lectiones, prout conſuetudo poſtulaverit, ſive extrà in Presbyterio (a), ſive intrà in medio Chori collocabitur.

2. Circa horam vigeſimamprimam (b) primum ſignum datur feſtivo Campanarum ſonitu (c), ſicut in præcipuis Solemnitatibus. Poſtea debito tempore accenduntur duæ candelæ ex cera alba ſupra altare, & dato ultimo ſigno, cantatur (d) Completorium more ſolito. Versùs finem Completorii duo Acolythi, qui pro Altari; & tertius, qui pro Candelabro Triangulari

(a) in medio ante gradus altaris.

(b) ſi ſit intra Italiam. Si verò ſit extra Italiam, circa horam competentem pro cujuslibet Regionis more.

(c) ratione ſequentis diei, nempe Cœnæ Domini, quæ ſolemnis eſt. Aliàs ratione Dominicæ Paſſionis, quæ hodierno Officio præcipuè recolitur, & luctuoſa eſt, campanarum ſonitus feſtivus non quadraret.

(d) cum ſuperpelliceis.

lari eſt deſignatus, ſimul in medio Chori genuflexionem facientes, progrediuntur in Presbyterium, duo à latere Epiſtolæ, & alter (a) à latere Evangelii, ibíque in medio Plani facta iterùm genuflexione,accendunt candelas, ea quidem ratione, ut in Altari juxta morem priùs accendantur candelæ Cruci proximiores: in Candelabro verò Triangulari incipiatur à candela altiori, quæ eſt in cuſpide; continuando priùs à parte Evangelii: deinde deſcendendo paritèr à parte Epiſtolæ. Omnibûs candelîs ita accensîs, duo Acolythi Altaris, factîs ad latera genuflexionibûs, amovent Candelabra minora ex Altari, atque cum tertio Acolytho redeuntes in Chorum, ea collocant intrà ſupra Credentias.

3. Notantèr profectò dictum eſt ſuprà, quòd Acolythi facere debeant genuflexionem, prout & reliqui omnes eandem facere debent toto hoc Triduo

duo

(a) nempe Acolythus Altaris.

duo (a). Conveniunt ſiquidem Auctores de Sacris Ritibus tractantes, ac volunt communitèr, omnes, qui tranſeunt ante Crucem, in medio Altaris(b) Majoris poſitam, toto hoc Triduo (c) genuflectere debere unico genu, præter Prælatos & Celebrantem (d). Communis porrò hic Doctorum ſenſus non ſolùm nititur auctoritate Rubricæ, quæ de Introitu Miſſæ cap. 4. num. 7. agens, poſtquam præſcripſit, in incenſatione altaris, ubi non eſt SS. Sacramentum, à Celebrante profundam cruci faciendam eſſe reverentiam, expreſsè ſubjungit: *Diaconus & Subdiaconus, dum tranſeunt ante Crucem, ſemper genuflectant*: ſed etiam quam maximè concordat cum iis, quæ Caſtaldus lib. 2. c. 13. n. 12. docet.

(a) uſque ad Nonam Sabbati Sancti incluſivè.

(b) coram aliis verò Crucibus, quæ in Altaribus reliquis aut locis poſitæ ſunt, ſola inclinatio ab omnibus eſt de more facienda.

(c) quod incipit à ſupradicta remotione SS. Sacramenti.

(d) paratum, qui ſolùm profundam facit reverentiam, niſi aliud notetur, quia in die Paraſceves etiam ipſe genuflectit.

docet. Enimverò, ſi juxta Rubricæ ordinationem convenit, ut genuflexio, de qua agitur, Cruci fiat aliis temporibus: quantò magìs conveniet, ut fiat hiſce diebus, quibus in Cruce adimpletum eſt principale Myſterium, quod à fidelibus adoratur. Neque id pugnat cum iis, quæ idemmet Caſtaldus lib. 3. cap. 16. & ſeq. ordinat. Nam, licèt ibi loquens de adoratione tribus hiſce diebus Cruci exhibenda, nomen *genuflexionis* non adhibeat: peculiarem tamen reverentiam requirere videtur. Quare, ne ſibi ipſi contradicat, locus præmemoratus erit intelligendus *cum reſpectu ad perſonas*, ita ut actus, quo crux toto hoc Triduo à tranſeuntibus adoratur, reſpectu Sacerdotis conſiſtere debeat in *reverentia*; reſpectu aliorum in *genuflexione*.

4. Poſt Completorium, dictis ſecretò *Pater noſter*, *Ave*, *& Credo* more ſolito, & dato à Superiore ſigno, omnes ſurgunt, ac versùs Altare inclinati, ſtando dicunt iterùm ſecretò *Pa-*

ter, *Ave*, *&c* *Credo* pro ſequentis diei Officiis Matutinis: tunc Superior Celebrans inchoat antiphonam: *Zelus Domûs tuæ &c.* Signans ſe interim ſigno Crucis, quo omnes paritèr ſe munire debent non ſolùm modò, ſed & in principio cujuslibet alterius Horæ Canonicæ (a).

5. In fine cujuslibet Pſalmi (b) aliquantulùm inflectitur vox (c), & Acolythus pro Candelabro Triangulari deſignatus, qui pro majori commodo in ultima ſede Chori inferioris à latere Epiſtolæ ſtare poterit, eodem tempore extinguit unam ex candelis in dicto Candelabro poſitis, incipiendo ab ea, quæ eſt in extremitate ejus à latere Evangelii, & poſt finem ſecundi Pſalmi

 pari

(a) In Choro, dum cantantur Pſalmi, omnes ſtant cooperto capite, & in fine cujuslibet Nocturni ad Verſum caput detegunt, donec dicatur *Pater noſter &c.* ante Lectiones, quo dicto ad Lectiones tecto capite omnes ſedent, & ad antiphonas iterùm ſurgunt.

(b) utroque Choro in ultima verba conveniente.

(c) quod toto hoc Triduo ſervatur.

parî diſciplinâ extinguit alteram candelam, quæ eſt in extremitate à latere Epiſtolæ, & ſic ſucceſſivè alternatim aſcendendo ab utroque latere, ſingulos Cereos (a) extinguit (b), factîſque ad extinctionem debitîs genuflexionibus (c), ad ſuum ſemper locum revertitur.

6. Dum dicitur tertius Pſalmus primi Nocturni, duo Clerici, deſignati ad extinguendos Cereos Altaris, deferunt Legile cum Breviario pro cantandis Lectionibus in medium Presbyterii (d), exeuntes cum debitis genuflexionibus à latere Evangelii, & redeuntes in Chorum cum iiſdem genuflexionibus à latere Epiſtolæ.

7. Circa Lectiones cantandas obſervantur eadem, quæ in aliis Matutinis

(a) uſque ad ſupremum Cereum, qui eſt in cuſpide, excluſivè.

(b) Inſtrumentô extinctoriô, nempe bacillo cum operculo, acceptô.

(c) In medio Chori & Presbyterii versùs Altare, ac reverentiîs versùs Chorum.

(d) unus Legile nudum, alter Breviarium fert juxta morem Clericorum Regularium.

nis Solemnibus obſervari ſolent: niſi quòd Acolythus, qui ducit cantores ad Legile, facta genuflexione, retrò à tergo eorum ſe ſiſtat: Cantores verò in fine cujuslibet Lectionis vocem parumpèr deflectant. Poſt ultimam dein Lectionem cantatam egrediuntur denuò à latere Evangelii duo Acolythi, qui, facta genuflexione, aſportant Legile cum Libro, ac à latere Epiſtolæ in Sacriſtiam transferunt.

8. Ad Canticum *Benedictus* (a) ſtant omnes nudo capite: interim verò lampades omnes, & alia omnia luminaria Eccleſiæ (b) extinguuntur præter illa, quæ ardent coram SS. Sacramento. Cùm ventum fuerit ad quartum Cantici verſum; duo Acolythi à duobus lateribus procedunt (c), & facta genuflexione, ad verſiculum *ut ſine timore &c.* Acolythus, qui ſtat à latere

(a) quod cantatur alternatim ab utroque Choro, ſicut in aliis Matutinis in tono ſolemniori.

(b) à Sacriſta, vel ab alio.

(c) & accedunt utrinque ad Altare, acceptô inſtrumentô extinctoriô.

Evangelii, extinguit primum Cereum, qui eſt remotior à Cruce Altaris. Ad verſiculum ſubſequentem *in Sanctitate &c.* alter Acolythus, qui ſtat à latere Epiſtolæ, extinguit ſecundum Cereum, qui eſt in eodem latere remotior à Cruce: & ſic ſucceſſivè alternatim extinguuntur ſinguli Cerei ad ſingulos verſiculos reliquos (a). Ne autem fumus excitetur, poterit quilibet ex Acolythis operculum bacillô ſuô paulatim elevare, & ad medietatem verſiculi Cereo imponere, ita ut in fine ejusdem verſiculi penitùs extinguatur.

9. Dum repetitur antiphona Cantici *Benedictus*, Acolythus Candelabri Triangularis ex cuſpide Candelabri Cereum ibi relictum removet, eúmque accenſum ſuſtinet, manu elevatâ ſuper cornu Epiſtolæ Altaris ſtans, donec Celebrans cum omnibus de Choro genuflectens, inchoaverit verſum:

Chri-

(a) ita ut nonniſi in fine Verſiculorum remaneant extincti omnes.

Chriſtus factus eſt &c. (a) tunc genuflectens & ipſe in eodem cornu Epiſtolæ, illum ſic accenſum abſcondit ſub Altari, vel alio modò, ita ut tale lumen non appareat. Ad Orationem Celebrans paritèr manet genuflexus, eámque capite paululùm inclinato dicit cum inflexione vocis in fine ad verbum *tormentum*, proſequens ſecretò (b), *qui tecum &c.* Tum Oratione abſolutâ, Superior fragorem excitat, manu vel virgâ percutiens ſcabellum, quod ſimilitèr omnes alii de Choro faciunt, donec Acolythus accenſum Cereum, quem tenebat (c) occultum, producat, & in ſummitate Candelabri Triangularis ſuo loco ante populi conſpe-

(a) ſolus Celebrans ſeu Superior, cantando gravi voce, inchoabit verſum: *Chriſtus &c.* non plura. In aliis verò Horis incipiet præfatum verſum, dicendo ſine cantu hæc verba: *Chriſtus factus eſt &c.* nec plura, nec pauciora, toto hoc Triduo, Choro cætera eodem tenore proſequente, prout in Breviario.

(b) cum omnibus aliis.

(c) ſpatio Dominicæ Orationis, vel circitèr à ſinita prædicta oratione.

ctum reponat (a), póſtque brevem moram illum extinguat. Dein, quamquam poſt abſolutum Matutinum Superior Celebrans, ùt moris eſt, aſpergat eos, qui in Choro ſunt, aquâ benedictâ; adverti tamen debet, quòd hac die campanula more ſolito non pulſetur, nec duobus ſequentibus diebus ſignum aliquod detur Inſtrumento ligneo, niſi quando Officium hujus diei terminaretur tempore, quo aliunde Salutationis Angelicæ ſignum edi deberet (b).

10. Prædicta omnia reſpectivè duobus ſequentibus diebus ad Matutinum ſervari quoque debent, cum aliqua tantùm variatione quoad Ritum horum dierum, qui denudationem Altaris exigit: uti & circa Completorium, ſub

(a) hoc dein prolato, omnes à ſtrepitu ceſſare debent.

(b) hac die tantùm, finito Matutino, reportatur SS. Sacramentum cum luminibus & intortitiis à Sacerdote ſuperpelliceo, ſtolâ albâ, ac velo etiam albo induto, aç denuò in Altari Majori reponitur.

ſub quo ſequentibus diebus accenduntur duæ candelæ flavi coloris ſuper Candelabris minoribus in Altari poſitæ, quæ dein accenſis Cereis Altaris in Chorum ſemper aſportantur.

FERIA QUINTA
IN
COENA DOMINI.

De Miſſa.

1. PRo Solemnitate hujus diei ritè celebranda Altare Majus parari debet pretioſioribus paramentis albis (a). Crux quoque in eodem

(a) ſupra pallium pretioſum albi coloris ponatur aliud leve Antipendium violacei coloris, amovendum ſtatim, poſtquam recitatæ fuerint in Choro Horæ Minores. Cum colore Antipendii etiam color Cortinarum (ſi quæ adſint) concordare ſemper debet.

dem Altari Velo albo (a) erit cooperienda. Talitèr autem ornatus diſponatur, ut tempore denudationis omnia facilè dimoveri poſſint. notetur præterea, quòd ſupra Velum Crucis (b) poni debeat (modo fieri queat) velum violaceum, poſtea recitatis Horis Minoribus amovendum.

2. In Sacriſtia pro Sacerdote & Miniſtris ſolita paramenta alba parentur, & pro Subdiacono deferente Crucem Amictus, Alba, Cingulum, ac Tunicella coloris paritèr albi ſine Manipulo. Pluviale ſimilitèr album pro Proceſſione, duo Calices, quorum unus diſponatur eodem modo, quo in aliis Miſſis Solemnibus diſponi ſolet: niſi

quòd

(a) Quamquam ſententia hæc de velo in album mutando probabilitate ſua non careat: mallem tamen, ut velum Crucis maneret violaceum, nec in album mutaretur ob rationes graviſſimas, quas pro dicta opinione veli violacei retinendi doctiſſimus P. Merati tum ex Cæremoniali Epiſcoporum, tum ex Decreto S. R. C. die 16. Novembris 1649. hac ſuper re edito cum Piſart aliisque viris eruditiſſimis ſolidiſſimè deducit.

(b) ſi album ſit.

quòd duæ Hoſtiæ (a) ſupra eum ponantur. alter (b) cum patena, palla alba, velo (c), & vittâ ſericâ (d) aptetur ad ſervandam in eo pro ſequenti Feria VI. Hoſtiam. Item parari debent Stolæ albæ pro Communione Sacerdotum juxta eorum numerum (e): campanulæ pulſandæ, cùm intonatur *gloria in excelſis &c.* Crux proceſſionalis velo violaceo tecta, duo Thuribula, duæ Naviculæ, Vas aquæ benedictæ, Urceus cum pelvi & manutergio pro lotione & exterſione manuum Celebrantis ad *Lavabo &c.* Duo Miſſalia, nec non duo Vela humeralia (f), quorum alterum, & quidem pulchrius, inſerviat pro tegendis humeris Celebrantis in Proceſſione. Præparetur inſu-

 per

(a) magnæ, ambæ à Celebrante conſecrandæ.
(b) amplus, & aliis pretioſior.
(c) albo ex pretioſioribus.
(d) albi item coloris.
(e) aliquæ etiam Stolæ albæ Diaconales caſu, quo inter communicandos adeſſent aliqui Diaconatûs ordine inſigniti.
(f) alba.

per Baldachinum (a) cum ſuis haſtis, deferendum in eadem Proceſſione ſupra SS. Sacramentum. Duæ Stolæ violaceæ, altera pro Celebrante, altera Diaconalis pro Diacono ad Veſperas, ac tandem Crux velo nigro cooperta (b), ponenda ſuper Altare poſt Denudationem ejusdem (c).

3. Intra Eccleſiam, ſive in loco quodam Eccleſiæ contiguo paretur Sacellum rebus pretioſis ad ſplendorem ducentibus perpulchrè ornatum: in eo poni debet Capſula (d) clave obſerata

(a) album perpulchrum.

(b) de hac infrà redibit ſermo.

(c) parentur etiam mappulæ ad extergendum os communicantium, & vaſculum pro purificatione poſt ſumptam Communionem: item linteum magnum ſeu plura apponenda ante communicandos: inſtrumentum quoque ligneum, quod Crotalum vocant, adhibendum locò Campanarum: ac Ritualia, faces & candelæ ex cera alba pro Proceſſione.

(d) convenit etiam, ut ſupra illam Capſulam ſit Baldachinum album, niſi talis eſſet vel ſitus, vel ornatus, ut Baldachinum videatur ſuperfluum. Item ſuper illo Altari nec Reliquiæ Sanctorum, nec Imagines poni debent: benè verò panni albi, flores, atque ſimulacra Angelorum candelas manibus tenentia ibidem poni poſſunt.

ta cum Corporali in fundo ejus extenſo ad conſervandum inibi SS. Sacramentum uſque ad alteram diem.

4. Circa horam decimam tertiam (a) dabitur ſignum pulſatione ſolemni Campanarum, & Clerici omnia diſponent, quæ ad Chorum ſpectant. Dein poſt dimidiæ horæ ſpatium inchoantur Horæ Canonicæ Minores (b) à Superiore (c), qui ſigno crucis ſe munit, quoties initium primi Pſalmi ex qualibet Hora inchoat. In fine verò cujuslibet Horæ dicit genuflexus ℣. *Chriſtus factus eſt &c.* cum ſequentibus eodem modo, quo ſuprà ad Laudes. Advertendum etiam eſt, quòd hodie ad Horas duæ candelæ juxta morem ſuper

(a) vel circa aliam horam congruam reſpectivè pro cujuslibet Regionis more.

(b) hoc Triduo ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium Officiator tantummodò demiſſa voce incipiet primum Pſalmum, & Chorus alios ſimul proſequetur. In Veſperis verò Cantores inchoabunt omnes Pſalmos de more.

(c) vel eo abſente id Senior præſtabit.

per Altare poſitæ debeant eſſe accenſæ (a).

5. Dum dicitur Nona, Clerici omnia ſupra Credentias diſponunt, ſicut moris eſt in aliis Miſſis cantatis, atque Cereos accendunt (b). Celebrans verò & Miniſtri in Sacriſtia ſacrîs veſtibûs ſe induunt, & interim pulſatîs tertiò pro ultimo ſigno ſolemnitèr Campanîs, procedunt ad Miſſam Solemnem cantandam. Ad Confeſſionem non dicitur Pſalmus *Judica me Deus &c.* nec *gloria Patri &c.* Dicitur tamen in hac Miſſa Hymnus *gloria in excelſis &c.* & tunc, quando hic intonatur à Celebrante, pulſantur Campanæ omnes minores & majores, atque Organa (c). Deinceps verò hic lætitiæ ſonus ſilet uſque ad Sabbatum Sanctum, quouſque denuò intonabitur prædictus Hymnus

(a) juxta Gavantum; quod tamen, ùt obſervat Meratius, in uſu non eſt apud omnes Eccleſias.

(b) amovent quoque, finitâ Nonâ, Antipendium violaceum, remanente altero albo pretioſo.

(c) ubi in uſu ſunt.

nus *gloria in excelſis &c.* Caveant autem cantores, ne proſequantur Hymnum *gloria*, priuſquam ſonitus Organorum & Campanularum ceſſaverit. Similitèr poſt Epiſtolam tardè ac lentè cantent Graduale unà cum ℣. ſequenti, quatenùs Celebranti ad legendum Evangelium, Diacono ad miniſtrandum incenſum, atque ad petendam Benedictionem tempus detur, quin longum ſilentium intra dictum Graduale & Evangelium interponatur: quod omninò eſt advertendum.

6. Ad Oblationem offeruntur duæ Hoſtiæ, quarum altera aſſumitur in Sacrificio hodierno; altera verò in craſtinum ſervatur: ubi notandùm ſingularitèr venit, quòd Hoſtia ſervanda in craſtinum reponi debeat ex parte dextera Corporalis, id eſt, aliquantulùm versùs latus Evangelii. Debent paritèr pro Communione generali præparari particulæ, & ſupra Corporale, aut in quadam Pyxide ad Oblationem Conſecrationémque in Miſſa ſolemnì

facien-

faciendam aptari, caſu quo in Altari Majori SS. Sacramentum non aſſervetur. In locis, ubi Chorus à tergo Altaris (a) exiſtit, videtur improbandum non eſſe uſum pulſandi crepitaculum ligneum, quod crotalum vocant, ad elevationem, ut Sacerdotes & alii, qui in Choro ſunt, ad adorandum SS. Sacramentum excitentur.

7. Clericis Miſſæ ſolemni hujus diei inſervientibus nil peculiare proponitur obſervandum, præter ea, quæ in aliis Miſſis ſolemnibus præſcribuntur. Solùm ſibi notent, quòd non detur *Pax* poſt dictum more ſolito *Agnus Dei.* Sumpto proin pretioſo Sanguine à Celebran-

(a) Aliàs (Choro videlicet à tergo Altaris non exiſtente) ex communiori Rubriciſtarum ſententia contra Clericatum de Sacrif. Miſſ. decis. 43. neque ad *Sanctus* aut elevationem SS. Sacramenti in Miſſa Fer. V. neque ad elevationem Hoſtiæ Fer. VI. in Paraſceve ſupradictum inſtrumentum ligneum pulſari debet.

lebrante (a), Subdiaconus (b) immediatè, Acolytho præeunte, factîsque debitis genuflexionibûs tranſit ad credentiam, & accepto ibidem calice, qui in Sacello parato reponi debet, unà cum patena, palla, velo ac vittâ; illum à cornu Epiſtolæ, genuflexione præmiſſa, offert Diacono. Diaconus autem ſtatim eum diſcooperit, ac porrigit Celebranti, qui dexterâ manu reverentèr in eo reponit alteram Hoſtiam conſecratam (c). Porrò advertere debet Celebrans, ita immittendam eſſe prædictam Hoſtiam, ut facilitèr & commodè ſequenti die illam ex eodem calice extrahere poſſit abſque ullo manuum contactu. Tum, facta genuflexione (d), ſe retrahit aliquantulùm

(a) non tamen purificatio & digitorum ablutio eſt facienda à Celebrante, niſi poſt Communionem generalem.

(b) juxta conſuetudinem à Caſtaldo aliiſque approbatam. Interim tamen vult Cæremoniale Epiſcoporum l. 2. c. 23. §. 5. Cæremoniarium, vel alium Capellanum id muneris præſtare debere.

(c) & Diaconus tunc ſuſtinet calicem ante Celebrantem.

(d) unico tantùm genu.

lùm in cornu Evangelii, ubi genuflexùs (a) unà cum Subdiacono à ſiniſtris, relinquit locum Diacono, ut factîs debitîs genuflexionibûs (b) accedere in medium altaris, & ibi priùs pallâ, deinde ad tutelam pallæ memoratum calicem patenâ inversâ cooperire poſſit. Demùm idemDiaconus, expansô deſuper velô(c), eum vittâ ligat. Poſtea retractô parumpèr calice Celebrantis versùs latus Epiſtolæ (d), priorem calicem dictô modô undequaque coopertum in medio corporalis collocat. Interim à Choro cantatur Communio, & alter Acolythorum vadit ad capiendum mantile album pro Comunione.

8. Diaconus item, collocato calice cum Hoſtia conſecrata in medio altaris, extrahit Pyxidem è Tabernaculo, & factâ genuflexione, deſcendit in planum per

(a) utroque genu.
(b) unico tantùm genu.
(c) parvo albo ſerico.
(d) at ſuper corporale, non extra illud propter ſpecies vini conſecrati, adhuc in ejus fundo relictas.

per gradus laterales ad cornu Epiſtolæ; ibíque factâ iterùm genuflexione erga Sacramentum, profundè inclinatus (a), voce altâ & clarâ dicit, aut (ubi mos invaluit) cantat *Confiteor &c.* Interea Celebrans aperit Pyxidem, & more ſolito miniſtrat (b) Euchariſtiam priùs Diacono & Subdiacono paratis: dein Sacerdotibus ſtolas è collo pendentes habentibus: pòſt reliquis de Clero, ac tandem Secularibus. Diaconus autem poſt acceptam Communionem comitatur Celebrantem in ſacra adminiſtratione cum patena (c).

9. Clerici cum intortitiis (d) accenſis in Presbyterio (e) exiſtentes, poſt elevationem non diſcedunt, ſed manent ibidem uſque ad communionem, & tunc, antequam ea incipiat, factâ ge-

(a) versùs Celebrantem.

(b) dicens voce intelligibili, *miſereatur &c.* cui Diaconus adhuc inclinatus reſpondet: *Amen.*

(c) & duo Acolythi ſuperpelliceis induti, mantile album ſuſtinent genuflexi ante communicandos hinc inde ambabus manibus.

(d) ceræ albæ.

(e) more ſolito.

nuflexione ſe collocant genuflexi hinc inde à lateribus Altaris, ita ut duo ſint in cornu Evangelii, & duo in cornu Epiſtolæ, non receſſuri, niſi poſtquam Communio ex toto completa fuerit. (a) Tunc poſitâ Pyxide â Diacono in Tabernaculo, redeunt in medium, factâque ibi genuflexione, intrant in Chorum. Cætera uſque ad finem Miſſæ more ſolito peraguntur, prætérquam quòd tam Celebrans ad *Dominus vobiſcum*, & benedictionem, quàm Diaconus ad *ite Miſſa eſt* cavere debeant, ne directè terga vertant Sacramento, quod eſt ſuper Altare. Quocirca, factâ genuflexione (b), renibùs aliquantulùm ſe vertunt versùs cornu Evangelii.

De

(a) dum autem ipſi Communionem ſunt accepturi, alios ſibi ſubſtituunt, qui interim ſuſtineant dicta intortitia, & deinde poſt Communionem eadem ſtatim recipiunt.

(b) unico tantùm genu ſine capitis inclinatione: Miniſtri etiam ſemper genuflectunt, ſicut Celebrans: niſi alitèr expreſsè moneatur.

De Proceſſione, Veſperis, nec non de Altaris Denudatione.

1. SUb finem Communionis generalis, Subdiaconus, qui crucem præferet, albis veſtibus ſuis in Sacriſtia parabitur. Interim in Sacello, in quo SS. Sacramentum uſque in craſtinum reponi debet, accenduntur omnes candelæ (a), & accommodatur ſcabellum (b), ut Diaconus commodè aſcendere valeat ad deponendum ibidem Sacramentum. Advertat inſuper Miniſter, cui incumbit accendere candelas in dicto loco, quòd naviculam unà cum bireto Celebrantis illuc ſecum transferre, ibique expectare debeat ad inſerviendum, ſi fortè in quibusdam ipſius operâ utendum eſſet. Eodem paritèr tempore præparantur in

(a) explicatur etiam corporale in medio Altaris, ſi quod Altare ibi fuerit.

(b) ſi forſan capſula (prout deceret) in eminentiori loco eſſet collocata.

Choro candelæ, quæ pro Proceſſione hujus diei erunt ex cera alba (a), faces, & reliqua ad procedendum neceſſaria. Accenduntur dein candelæ & faces, dum Celebrans dicit ultimum Evangelium (b), & tunc etiam Ceroferarii ſua candelabra ex credentia exteriori aſportabunt intrà in Chorum.

2. Dum incipitur Evangelium S. Joannis, Thuriferarius factâ genuflexione utroque genu (prout deinceps ab omnibus (c) erit obſervandum) vadit in Sacriſtiam à latere Epiſtolæ, & ſtatim ſumptum ibi Pluviale à latere Evangelii in Presbyterium defert. Finitâ Miſsâ, Celebrans (d) per gradus latera-

(a) ut dictum eſt ſupra.

(b) Celebrans lecturus Evangelium S. Joannis, non ſignat Altare in principio Evangelii, ſed tantùm librum aut tabellam dicti Evangelii, ſi ibi ſint. In defectu verò dictæ tabellæ vel libri ſignat ſolùm ſeipſum. Ad verba: *& verbum caro &c.* genuflectit aliquantulùm versùs Sacramentum.

(c) niſi aliud expreſsè notetur.

(d) cum Miniſtris accedit ad medium Altaris, ibique genuflectunt ad aram ipſius, unico tamen genu, ut commodiùs ſurgere poſſint. Tunc unus poſt alium, præcedente Subdiacono, deſcendit,

terales in cornu Evangelii deſcendit in planum Presbyterii, facie converſâ versùs cornu Epiſtolæ, nec non depoſitis (a) ibi planetâ & manipulô, accipit Pluviale (b). Sacri Miniſtri ſimilitèr ſuos manipulos deponunt, adjuvante Cæremoniario, qui dein prædicta paramenta ſacra ſupra credentiam collocat. Poſt hæc omnes tres (c) in medium unà accedunt, &, genuflexione ibidem (d) utroque genu facta cum profunda inſuper capitis inclinatione, aſcendunt ad gradum proximiorem ſuppedaneo Altaris (e), ubi genuflexi parumpèr manent (f).

 3. Thu-

(a) Miniſtris Sacris adjuvantibus juxta communiorem Eccleſiarum, præcipuè Romanarum (teſte Meratio) conſuetudinem.

(b) album pretioſum.

(c) Celebrans videlicet incedens per planum manibûs junctis, & nudô capite, medius inter Sacros Miniſtros tenentes hinc inde fimbrias anteriores pluvialis elevatas.

(d) in plana terra.

(e) vel etiam, ùt aliis videtur ex Cæremoniali Epiſcoporum colligi, ad inferiorem gradum Altaris.

(f) orantes.

3. Thuriferarius, ſtatim ac Pluviale depoſuerit, unà cum Acolytho ſe confert in Chorum à latere Epiſtolæ, & ambo, acceptis cum navicula Thuribulis, igne à quodam miniſtro ad id deſignato jam repletis, ſine mora in Presbyterium à latere Evangelii procedunt, ſequente eos, primò, Subdiacono Cruciferario, medio inter duos Ceroferarios candelabra ſua geſtantes, dein Clero, ſecundùm ordinem, ita ut bini & bini incedant, junioréſque præeant, à quibus advertendum eſt, quòd, factâ in medio genuflexione (a), debeant ſe ſiſtere ad exitum cancellorum in Presbyterio, relinquentes locum Altari proximiorem ſenioribus. Duo Thuriferarii, factâ genuflexione, geflectunt, alter ex uno angulo Altaris, & alter è regione alterius Thuriferarii, facie adinvicem aliquantulùm converſâ (b). Subdiaconus, qui fert crucem, &

(a) ùt dictum eſt ſuprà, utroque genu.

(b) & in proceſſione hinc inde ante Baldachinum ſe conſtituunt, graviter & modeſtè ſemper in eo ſitu procedentes, facie adinvicem verſa, ne terga vertant Sacramento.

& Ceroferarii, cùm pervenerint in medium, profundam duntaxat inclinationem ſine genuflexione faciunt, & expectant ſtantes in Presbyterio ante exitum cancellorum.

4. Egreſsìs omnibûs ex Clero, ac intra Presbyterium in ordinem redactîs, duo Thuriferarii appropinquant Diacono ad incenſum miniſtrandum, abſque eo quòd in miniſtratione cochlear aut manum Celebrantis oſculentur, ſive benedictio detur. Mox Celebrans ſurgit (a), & ſtans, Subdiacono interim fimbriam pluvialis elevante (b), ponit ter incenſum in utro-

(a) cum Miniſtris ſacris ſine genuflexione.

(b) & miniſtrante naviculam Diacono.

que Thuribulo (a): dein genuflexus accipit à Diacono (b) primum thuribulum, & factâ profundâ inclinatione (c), incenſat ter Sacramentum (d), elevantibus interim Miniſtris ſacris fimbrias anteriores pluvialis. Cæremoniarius paritèr naviculam à Diacono receptam ſupra credentiam deponit, atque ex ea ſumptum velum humerale Subdiacono porrigit.

5. Poſt incenſationem SS. Sacramenti

(a) priùs ponit ter incenſum in Thuribulo primi Thuriferarii utroque genu genuflexi. Tum ille Thuriferarius paululùm recedit, locum cedens ſecundo Thuriferario, in cujus Thuribulo Celebrans paritèr thus ponit ex priori navicula: quo facto ſecundus Thuriferarius ſurgit, & factâ genuflexione, accedit ad cornu Epiſtolæ, ibique genuflexus in plano manet uſque ad initium Proceſſionis incluſivè. Primus verò Thuriferarius, factâ genuflexione, iterùm accedit ad Diaconum, cui poſt naviculam à ſe vel à Cæremoniario receptam porrigit Thuribulum, & parùm recedit. Omnes autem ſive in acceſſu, ſive in receſſu cavere debent, ne Sacramento terga vertant.

(b) tradente ſine oſculis manûs Celebrantis, aut catenularum.

(c) ante, & poſt.

(d) ſuper Altare poſitum ſuo velo coopertum.

menti (a), Subdiaconus (b) imponit ſuper humeros Celebrantis velum humerale (c), & Diaconus (d) progreditur ad ſuppedaneum Altaris, ibíque (e) accipiens calicem (f) cum Hoſtia ſacroſancta, eum porrigit (g) Celebranti genuflexo, ac veli humeralis extremitatem ſupra calicem extendit. Tum

(a) Celebrans reddit thuribulum Diacono, hic primo Thuriferatio, qui eo accepto, & factâ genuflexione, pergit ad cornu Evangelii, & ibi manet genuflexus è regione alterius Thuriferarii: nec propterea incenſare debent Sacramentum, niſi durante proceſſione.

(b) Cæremoniario juvante, & aciculis aut vittis ſericis velum firmante, ne per viam decidat.

(c) deinde Celebrans cum Miniſtris ſacris (ſi juxta ſuperiùs dicta ſupra infimum gradum Altaris fuerit) ad ſecundum aſcendit.

(d) interim Celebrans cum Subdiacono genuflectit in ſuppedaneo.

(e) factâ priùs genuflexione unico genu ſine capitis inclinatione.

(f) dextrâ nodum, ſiniſtrâ pedem tenens.

(g) ſtans calicem porrigit, per latus ſuum ſiniſtrum, ſeu per eam partem, quæ reſpicit cornu Evangelii, convertens ſe ad Celebrantem ibi genuflexum.

Celebrans (a) ſtatim ſurgit (b), vertítque ſe ad populum adeò lentè, ut eodem tempore Diaconus, factâ genuflexione (c), commodè tranſire poſſit ad dexteram, Subdiaconus pariformitèr ad ſiniſtram Celebrantis, ubi dein ambo anteriores fimbrias pluvialis elevabunt (d).

6. Poſtquam Celebrans ſe facie ad populum convertit, Thuriferarii ſtatim

(a) Celebrans calicem accipit ſiniſtrâ per nodum, ſubmittens eam velo, & dexteram ponit ſupra calicem.

(b) Celebrante ſurgente, Diaconus genuflectit, & Sacramentum adorat.

(c) unico tantùm genu.

(d) & cùm opus eſt, brachia Celebrantis ſuſtentabunt.

tim incipiunt incenſare (a) SS. Sacramentum, prout moris eſt in qualibet reſpectivè Eccleſia: Cantores verò deſtinati, adhuc genuflexi, intonant Hymnum (b) *Pange lingua &c.* graviter ac devotè. Intonatis duobus primis verſiculis (c), ſurgunt omnes, ac

(a) Incenſatio duobus modis fieri poteſt. primò, ſi Acolythi retrogradi, faciebûs ad Sacramentum converſis, alternatim incenſent ductis thuribulis, ùt fit in incenſatione perſonarum. Secundò, ſi hinc inde antè procedant, moventes manibûs dextrìs thuribula ex iiſdem pendentia & effumantia, ùt ait *Rituale Romanum de proceſſione in Feſto SS. Corporis Christi*, quaſi ſternendo viam Sacramento, cum odore incenſi, ita tamen ut ſimul illud *incenſare* verè dici poſſit. Priorem incenſandi modum, hac die probat Paulus Ma. Quarti Cler. Reg. de Proceſs. ſect. 3. punct. 3. quæſt. 5. poſteriorem amplectitur Gavantus, Biſſus, Meratus citans pro ſe comuniorem praxim, præſertim Baſilicarum Urbis.

(b) quem Chorus proſequitur.

(c) congruum etiam eſſet, dum Celebrans deſcendit per gradus Altaris, adhibere umbellam ſericam albi coloris, quam ferre debet aliquis Clericus ſupra caput Celebrantis, eam elevando, in ſubſidium Baldachini per totum ſpatium, quod intereſt ab Altari ad Baldachinum, ne SS. Sacramentum abſque honoris tegmine, nec per breve quidem ſpatium, deferatur. Item Cæremoniarius, vel alius quiſpiam extremitatem anteriorem veſtis Celebrantis cum Sacramento deſcendentis elevet.

tandem præeunte Subdiacono cum Cruce (a), medio inter duos Ceroferarios vel à latere Epiſtolæ, ſi ſacellum pro reponendo SS. Sacramento exiſtat à latere Evangelii; vel è converſo, ſi ſit à latere Epiſtolæ, inchoatur Proceſſio modo in qualibet Civitate aut Eccleſia uſitato. Si Presbyterium fuerit anguſtum, tunc extra illud (b) conſtitui debet Baldachinum (c), cujus haſtæ ab eo, cui incumbit, porriguntur aut Sacerdotibus (d) ſuperpelliceo ac pluviali albo ſine ſtola indutis, aut aliis

(a) ultimus vadit Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum ſub Baldachino, tenens elevatum calicem ferè ob oculos, quos modeſtè ſemper in eum defixos habebit, & voce ſubmiſsâ recitabit cum miniſtris ſacris devotè Hymnum *Pange lingua &c.* ac etiam pſalmos.

(b) ante medium viæ in exitu cancellorum.

(c) ſecùs verò, ſi Presbyterium amplum ſit: tunc enim in medio Presbyterio Baldachini haſtæ elevari ſolent.

(d) Meratus hic notat, prædictos Sacerdotes, celebrante Epiſcopo, paratos eſſe debere pluviali; ipſo verò non Celebrante, Cottis tantùm.

aliis perſonis ex dignioribus (a).

7. Cùm ad Sacellum perventū fuerit, Subdiaconus ac Ceroferarii, factâ duntaxat inclinatione abſque genuflexione, ſiſtunt ſe ſtantes è regione prædicti Sacelli: Clerus verò dividitur in duas partes hinc inde, uno ad unam, altero ad alteram partem tranſeunte, ita ut juniores ſint proximiores Cruci, ſeniores Sacello uſque ad adventum Celebrantis (b) cum Sacramento, & tunc omnes ante illud genuflectunt utroque genu, præter Cruciferarium &

Cero-

(a) advertant poſteriores procedentes de Clero, ut non nimìs elongentur à Celebrante, ne SS. Sacramentum ſine lumine deferatur, ad quod attendere omninò debet Cæremoniarius, ſicut ad alia omnia.& ideo ipſum neque candelam,neque locum ſpecialem habere oportet,ut omnibus ritè providere poſſit. Candelæ autem geſtentur eo modo, quo dictum eſt ſuprà de Palmis geſtandis in proceſſione Dominicæ Palmarum.

(b) tranſeuntis ſub Baldachino per medium eorum.

Ceroferarios (a). Duo autem Thuriferarii ſe retrahunt ad miniſtrum, ùt dictum eſt, ibidem jam expectantem, qui igne utriuſque thuribuli in unum congeſto retinet illud, quod vacuum eſt, & ſecundo Thuriferario locò thuribuli naviculam tradit. Diaconus factâ genuflexione utroque genu, ſurgit, removetque à calice veli humeralis extremitates: dein iterùm, ùt antea, genuflexus (b) accipit calicem à Celebrante (c), cui relinquit ſufficiens temporis ſpatium, ut genuflexus Sacramentum adorare poſſit. Deniquè illud

(a) hi tres tranſeunte Celebrante recedunt aliquantulùm è medio, ut tranſeundi ſpatium relinquant. Dein poſt ejus tranſitum ſtatim ſe collocant ſtantes, ùt dictum eſt, è regione Sacelli duplicem genuflexorum ordinem in medio claudentes. Ante ingreſſum Sacelli ab Acolythis Baldachinum aſportatur, & haſtiferi ad ſuum reſpectivè locum recedunt.

(b) Celebrans & miniſtri ſacri aſcendunt antè ſupremum gradum Altaris, ſcilicet ante ſuppedaneum; Diaconus verò ſtatim ſuprà ſuppedaneum genuflectit quaſi vertens renes ad cornu E-ſtolæ, & recipit calicem &c.

) ſtante.

illud ponit ſupra corporale in medio Altaris (a). At, ſi in dicto Sacello parato Altare non eſſet (b), Diaconus deponit calicem cum Sacramento immediatè intra capſulam, nec eam claudit. Interim verò Subdiaconus removet velum ab humeris Celebrantis, illúdque Acolytho naviculam tenenti tradit.

8. Mox ùt deſcendit Diaconus, recipit ab Acolytho naviculam, & incenſum miniſtratur. Poſtea à Celebrante genuflexo cum debitis inclinationibus incenſatur SS. Sacramentum, elevantibus more ſolito miniſtris fimbrias pluvialis. Tunc autem, quando Celebrans actu incenſat, intonatur à Cantoribus *Tantum ergo &c.* ùt rectè mo-

(a) cavens, ne terga vertat Celebranti genuflexo. Subdiaconus etiam genuflectere debuit, ſtatim ac Celebrans Diacono Sacramentum dederit.

(b) prout in quamplurimis præſertim Italiæ Eccleſiis uſuveniſſe conſtat.

monet Caſtaldus (a). Finitâ incenſatione, redditur Thuribulum Thuriferario (b), túmque Diaconus aſcendit ad Altare, ubi ſumptum ex eodem Altari calicem cum Sacramento reponit intra capſulam, poſtea eam claudit, obſerátque clavi, quam portat ſecum, dandam deinde Cæremoniario (c), à quo

(a) cui Meratus apprimè concordat, dum conſultius fore ex Biſſo exiſtimat, ſi una vel altera ſtropha in Proceſſione (ratione viæ longioris) ante præfatos verſiculos repetatur, ne ad *Tantum ergo &c.* ad quod genufle&ctendum eſt, procedentes genufle&ctere deberent in via. exinde concludit, verſiculos illos tunc dicendos eſſe, quando omnes ante Altare, in quo reponi debet Sacramentum, fuerint genuflexi. Si tamen inter procedendum dicerentur hi duo verſiculi *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*; deceret, ut omnes intra Eccleſiam tunc genufle&cterent versùs Sacramentum, ſi commodè poſſent, præter Subdiaconum cum Cruce & Ceroferarios, qui ſtantes, ſe tunc convertere deberent ad Sacramentum. Celebrans verò cum Miniſtris & haſtiferis immotus interim ſubſiſteret. Finitis prædictis verſibûs, omnes ſurgent, & factâ ſimul genuflexione, convertentes faciem ad Crucem, cœptum iter peragent.

(b) id eſt, redditur à Celebrante Diacono, à Diacono dein Thuriferario.

(c) clavis nullo modo dari debet Laico, quantumvis Nobili. S. R. C. 30. Jan. 1610.

quo viceverſa biretum Celebrantis accipit. Quod hucuſque diximus de reponendo calice intra capſulam, non in ſenſu abſoluto, ſed duntaxat reſpectivo id intelligi debet, nempe, quòd Diaconus poſt incenſationem ſtatim, ùt ſupra monitum fuit, ad claudendam capſulam aſcendere; ac eâ obſeratâ, clavim ſecum deferre debeat, ſi ob defectum Altaris Calix prædictus immediatè in capſula præparata depoſitus fuiſſet. Clausô demum Sacramentô in capſula, & Diaconô ad dexteram Celebrantis regreſsô, omnes genuflexi (a), aliquantulùm orant: qua oratione finitâ, Celebrans ſurgit, ac biretum à Diacono, ſine oſculis illud porrigente, recipit. Omnes alii dein ſimilitèr ſurgunt, factísque debitis genuflexionibûs (b), in Chorum redeunt

 bini

(a) exceptis Cruciferariô, & Ceroferariis.

(b) SS. Sacramento in Tabernaculo incluſo, & in Sacello aſſervato his diebûs flectendum eſſe utroque genu, expreſsè monet Meratus cum aliis, prout & ſuprà monitum fuit. Circa Thuriferarium quid ſentiant aliqui, vide infrà de Proceſſ. Fer. VI. in Paraſceve.

bini & bini, eo quidem ordine, ut Thuriferarius cum Acolytho (a) ſit primus, ultimus verò Celebrans nudo capite (b), habens ante ſe duos Miniſtros ſacros, quorum unus poſt alium incedit (c). Notandum prætereà eſt, quòd omnes de Choro, redeuntes poſt proceſſionem è Sacello, factâ erga SS. Sacramentum genuflexione, reverti debeant extinctîs candelîs, præter Ceroferarios, qui cum candelis accenſis Crucem comitantur.

9. Poſtquam Thuriferarius & Acolythus, Cruciferarius & Ceroferarii in Chorum pervenerint: Ceroferarii duntaxat in medio manent uſque ad adventum Celebrantis ac Miniſtrorum: Thu-

(a) quos ſequitur Subdiaconus deferens Crucem, medius inter Ceroferarios.

(b) videtur id intelligendum, quòd nempe Celebrans nudo capite maneat, donec è Sacello exiverit. Poſtea caput tegit: aliàs ad nihil inſerviret biretum Celebrantis, quod, ùt ſuprà ordinatum fuit, à quodam miniſtro unà cum navicula in Sacellum SS. Sacramenti ante Proceſſionem deportari, & poſtea à Diacono ipſi porrigi debuit.

(c) vel, ùt aliis etiam placet, Celebrans medius inter Sacros Miniſtros, elevantes fimbrias pluvialis.

Thuriferarius verò & Acolythus unà cum Subdiacono Crucem ferente in Sacriſtiam progrediuntur ad deponendum ea, quæ ſunt deponenda. Dein ſine mora cum ſtola violacea redeunt denuò in Chorum, feſtinantes parumpèr, ut tempeſtivè adſint ad recipiendum pluviale ac ſtolam albi coloris, quæ Celebrans deponit; Diacono dein locò albæ violaceam ſtolam porrigunt, qua, eodem Diacono juvante, Celebrans indutus, inchoat antiphonam *Calicem*; mox vadit ad ſuam ſedem, Choro Veſperas (a) proſequente ſine cantu (b).

10. Celebrante ad ſuam ſedem reverſo, Diaconus & Subdiaconus, factâ ei inclinatione, ac poſtea genuflexione Altari, intrant in Sacriſtiam, Acolythis præcedentibûs, ubi depoſitîs paramentis albîs, Diaconus ſtolam

(a) ad Veſperas manent ſex candelæ accenſæ, ſicut in Miſſa: vel ſaltem duæ candelæ ad Altare ardere debent, ùt vult Biſſus. Pſalmi à cantoribus intonantur.

(b) demiſsâ, ſed intelligibili voce. Cruciferarius, depoſitìs veſtibûs, vadit in Chorum ad ſuum locũ.

violaceam accipit, Subdiaconus verò albam & cingulum duntaxat retinet, ac comitantibûs duobûs Acolythîs in Chorum redeunt, quilibet ad ſuum reſpectivè locum.

11. Dum dicuntur in Choro Veſperæ, aliquis Sacerdos deſignetur, qui ex Altari Majori Pyxidem transferat ad locum pro ejusdem cuſtodia præparatum (a). Oſtiolum autem Tabernaculi, ex quo Pyxis removetur, manet apertum, & Sacriſta ſtatim lampades ibi accenſas extinguit, præter candelas, quæ ſupra Altare ad Veſperas ardent. Clerici interim, qui Miſſæ ſolemni inſervierunt, calicem, Miſſalia cum pulvinari, Tabellam Secretarum, & reliqua, quæ ſuperſunt de ſupellectili ſacra, in Sacriſtiam reportant. Eodem tempore diſponunt etiam Antipendium atque toba-

(a) Pyxis cum particulis ponenda non eſt in eadem capſula, in qua paulò antè repoſitus fuit calix, quem Celebrans detulit in Proceſſione; ùt vult Gavantus: hic equidem nullius Eccleſiæ eſt uſus.

tobaleam, ita, ut facilè removeri ex Altari poſſint (a).

12. Immediatè poſt Veſperas proceditur (b) ad Denudationem Altaris à latere Evangelii (c). Præcedunt Acolythi (d) junctîs manibûs, quos ſequitur Clerus ſecundùm ordinem. Dein factâ in Presbyterio genuflexione cruci (e), ſe dividunt in duas partes per gyrum Chorum ordinantes, & Celebrans, poſtquam cum Miniſtris ad Altare acceſſit, intonabit antiphonam: *diviſerunt ſibi &c.* quam proſequitur

(a) ſolet in quibusdam locis etiam removeri aqua benedicta è Vaſis Eccleſiæ. Quocirca ea nunc erit removenda, ubi iſthæc conſuetudo viget.

(b) binis & binis incedentibûs.

(c) ſuppoſito, quòd Chorus ſit retrò poſt Altare Majus.

(d) ſine Thuribulo & navicula: Ceroferarii ſine Candelabris nudo capite: Celebrans non medius, ùt vult Bauldry, ſed habens ante ſe Diaconum & Subdiaconum, unum poſt alium tecto capite; ubi verò moris non eſt, ſicut apud Clericos Regulares, ſolus Celebrans incedet tecto capite.

(e) excepto Celebrante, qui Cruci tantùm ſe profundè inclinat.

Chorus (a). Inceptô poſtea pſalmo (b): *Deus Deus meus, reſpice in me &c.* Celebrans cum Miniſtris ad Altare aſcendit, ac amovet primò tobaleam ſuperiorem, mox alias, tum pallium (c). Clerici interim omnia intùs in Sacriſtiam aſportabunt: alii Cereos extinguent, & vaſcula cum floribus amovebunt (d): nec quidquam aliud in Altari relinquent, niſi ſex Cereos extinctos unà cum cruce, cujus locò Cæremoniarius porriget Celebranti Crucifixum

(a) totam: quidquid alii pauci cum Bauldry in contrarium dixerint.

(b) quem Chorus hinc inde alternatim cantabit.

(c) ſi exiguus ſit Altarium numerus, vadit Celebrans cum Miniſtris ad ea denudanda, & interim morosè cantatur Pſalmus, non tamen repetitur, etiamſi denudatio adhuc finita non eſſet. Ubi verò copioſus eſt Altarium numerus, eodem tempore, quo Celebrans denudat Altare Majus, alii Sacerdotes, Cottâ & ſtolâ violaceâ induti, vel alii miniſtri inferiores poterunt illa denudare, recitando interim dictum Pſalmum.

(d) alii tapeta, alii linteamina credentiarum auferent.

Google

ſixum coopertum velo nigro (a), ab eodem ſuper medio Altaris collocandum (b). Decantatô dein totô pſalmô, ac repetitâ antiphonâ ſupradictâ, datur ſignum cum Crotalo(c); quô datô, omnes genuflexi aliquantulùm orant. Mox Celebrans, ſicut & reliqui omnes ſurgunt, factâque genuflexione, quin ſe invicem ſalutent, cum ſilentio à latere Epiſtolæ in Sacriſtiam intrant.

(a) ubi tamen non obtinuit adhuc conſuetudo, ut ponatur ſuper Altare Crux major, velô violaceô vel nigrô tecta, diverſa à Cruce, quæ eſt inter candelabra: ibi relinqui debet in Altari Crux, quæ inter candelabra reperitur, ſequenti die à Diacono porrigenda Celebranti, ut modò à Rubricis præſcriptô eam detegat. ex Cærem. Epiſcop. ſub Innocentio X. impreſſo lib. 2. c. 20.

(b) Tabernaculum Caſtaldus conopæô nigrô cooperiendum eſſe cenſet: Gavantus potiùs violaceô. Romæ in Eccleſia S. Petri amovetur conopæum. quare hac in re ſtandum omninò eſt conſuetudini locorum.

(c) ùt fit in Salutatione Angelica locò ſigni meridiani.

De Mandato.

1. AD Mandatum, ſeu pedum lotionem in Sacriſtia, vel alio Oratorio privato Altare præparetur ornatum paramentis albis cum quatuor candelis accenſis(a): item crux velo albo tecta (b), pulvinar cum Miſſali aperto (c): abacus ſeu credentia quædam (d), ſupra quam ponantur urcei aquâ calidâ & frigidâ pleni cum alio urceo ad prædictam aquam infundendam (e): tredecim mappulæ (f), &

(a) ad minimum.

(b) vel violaceo velo tecta juxta ſententiam ſuprà notatam.

(c) ſcamnum oblongum pro lavandis etiam paretur panno viridi vel alterius coloris, non tamen rubei, coopertum. Rurſus ante prædictum pannum ſterni debet tapes oblongus, vel plures, & Cuſſinus amplior, ne Celebrans lavans pedes genuflexus, ſacras veſtes maculet.

(d) à latere ſiniſtro dicti ſcamni ſeu in parte Epiſtolæ.

(e) videlicet tria parentur vaſa, unum aquâ calidâ plenum, & herbis odoriferis: alterum aquâ frigidâ ad temperandam calidam, ſi opus ſit, & tertium, in quod aqua pelviam effundatur poſt cujusvis pedis lotionem, ſi neceſſe ſit.

(f) in una lance, vel ciſtâ honeſtè poſitâ ad extergendos pedes tredecim lavandorum.

& tria lintea, quibus Celebrans ac duo Miniſtri ſe præcingunt. Paretur præterea pelvicula cum mica panis, vas ſeu buccale cum aqua, ac manutergium ad lotionem & exterſionem manuum Celebrantis (a) poſt lotionem pedum faciendam. Supra aliam credentiam (b) collocentur duo candelabra cum candelis accenſis, thuribulum, navicula, & Miſſale pro Diacono. Pro Celebrante paretur amictus, alba, cingulum, ſtola & pluviale violacei coloris: pro Diacono & Subdiacono Dalmatica & tunicella cum ſtola latiore, eorúmque manipulis albi coloris. Demum in promptu quoque ſit pelvis (c) ſeu concha pro facienda ipſa lotione pedum, & duo Legilia (d) pro Cantoribus utriuſque Chori (e).

 2. Ho-

(a) ac miniſtrorum.

(b) ambæ credentiæ mappâ mundâ ſint contectæ.

(c) una, vel etiam duæ pelves.

(d) vel plura juxta numerum Cantorum, quæ nuda ſint, & Miſſalia jaceant ſupra ea aperta.

(e) adſit præterea vas cum prunis ardentibus. Cantores ſuperpelliceis ſint induti.

2. Horâ competentî (a), datur ſignum tabulâ ſeu crotalô, & Acolythi accendunt candelas, quæ ſunt in Altari, ubi faciendum eſt Mandatum; Ceroferarii eas, quæ ſunt ſuper ſua candelabra. Tum Thuriferarius poſitô igne in thuribulo, Acolythus ſumptâ naviculâ, & Ceroferarii cum candelabris accedunt ad Celebrantem, cum quo ſimul & cum miniſtris progrediuntur ad Altare (b), prout de more: quò cùm pervenerint (c), omnes, excepto Celebrante, genuflexionem faciunt, & Celebrans dat biretum Diacono, qui illud accipit cum ſolitis oſculis, ſtatímque tradit Acolythò; ab hoc Diaconus è converſo recipit Miſſale, quod Acolythús in promptu habere debet. Interim Celebrans

(a) quæ ſolet eſſe Tertia poſt Meridiem.

(b) ſi locus ad Mandatum deputatus diſtet à Sacriſtia, ex ſententia communiori Bauldrii & Gavanti contra Biſſum Subdiaconus, medius inter Ceroferarios, fert Crucem more ſolito, quam deponit propè Altare in cornu Evangelii.

(c) illi, quorum lavandi ſunt pedes, pergunt a ſuu m ſcamnum.

lebrans aſcendit ad Altare ſupra ſuppedaneum, illúdque oſculatur (a), relinquens locum Diacono, ut poſſit collocare Miſſale (b) ſupra Altare, ac miniſtrare incenſum more ſolito, quo miniſtrato, & dicto inſuper *munda cor meum &c.* acceptáque benedictione, Diaconus vadit ad cantandum Evangelium. Ei, dum cantat, Subdiaconus, medius inter Ceroferarios, prout aliàs ad Evangelium fieri ſolet, Miſſale ante oculos apertum tenet. Diaconus incenſat ac ſignat librum, & ſeipſum. Poſt Evangelium Celebrans oſculatur librum, quem Subdiaconus ad eum defert; deinde à Diacono incenſatur. Finitâ incenſatione Celebrantis, Thuriferarius, Acolythus, & Ceroferarii deponunt omnia ſupra credentiam. Celebrans verò deſcendit in planum, ubi pluviale exuit ope miniſtrorum, qui paritèr ſuos manipulos deponunt: ſingula dein locô congruó repo-

(a) in medio.

(b) acceptum à Cæremoniario, vel ab Acolytho.

ponantur. Interim ab uno ex Acolythis porrigitur linteum majus Diacono, qui eo, adjuvante Subdiacono, Celebrantem præcingit. Poſtea alii duo Acolythi afferunt alia duo lintea, quibus Diaconus & Subdiaconus præcinguntur.

3. Sedentibus jam per ordinem Tredecim (a) illis, quibus lavandi ſunt pedes, Celebrans ante primum genuflexus (b), lavat, tergit, & oſculatur pedem dexterum uniuscujusque, nullo modo formans ſignum Crucis ſuper eum. Dum autem Celebrans pedem lavat, Subdiaconus, à ſiniſtris Celebrantis genuflexus, tenet illum paulu-

lùm

(a) Tredecim debent eſſe ex Cæremon. Epiſcop. lib. 2. c. 24.

(b) nudo capite.

lùm elevatum: Diaconus (a) verò, à dextris Celebrantis paritèr genuflexus, infundit aquam, aſſiſtente Acolytho, qui concham ſeu pelvim tenet, prout & omnibûs reliquîs juvantibûs, qui mappulas porrigunt, & quidem mundam pro unoquoque. Cùm incipitur lotio, cantores primi Chori incipiunt cantare Verſiculos, proſequendo illos eodem modo, & ordine, quo in Miſſali præſcribitur. Completa lotione pedum, ſurgit Celebrans cum Miniſtris; dein duo Acolythi, qui eſſe poterunt Ceroferarii, accedunt cum urceo, pelvicula (b), & manutergio ad lavandas & extergendas manus Celebran-

(a) opem fert etiam ad extergendum pedem lotum, & ad porrigendum mappulas: tunc autem non ipſe, ſed aliquis Acolythus aquam tepidam urceo infundit: prout ex Biſſo & Bauldry, utpote quoad hoc omninò Rubricæ inhærentibûs, magìs arridet clariſſimo Meratio. Si adhibeantur duæ pelves, aliquis Miniſter ſeu Acolythus unam aquâ plenam ſub pede lavandi tenet, alter mutat aquam, quando opus eſt, & aliam interim ſupponit. Thuriferarius tenere poterit lancem cum mappulis, quas ſucceſſivè ſine oſculis tradet Diacono, & ab eo viciſſim recipiet.

(b) in qua eſt mica panis.

brantis (a). Tandem, ſublatis ab unoquoque eorum linteis, Celebrans iterùm pluviale reſumit (b), ac ad Altare aſcendit, ubi poſt ſe habens miniſtros, dicit (c) ℣. ℣. & Orationem præſcriptam, poſt quam deſcendit, & acceptô à Diacono biretô, recedit cum miniſtris eo modo, quo venit, atque unà cum ipſis ſacras veſtes deponit.

De Feria Sexta in Paraſceve.

1. PRo Officiis in Paraſceve celebrandis, in Sacriſtia parari debent paramenta nigri coloris pro Celebrante & Miniſtris Sacris, tres ſcilicet Planetæ nigræ, quarum una ſit ſoluta pro Celebrante, duæ verò pli-

(a) qui eas lavat extra cornu Epiſtolæ.

(b) miniſtris ſacris juvantibûs, qui & ipſi manus lavant, ac manipulos reſumunt.

(c) altâ voce ac devotâ.

plicatæ (a) pro Diacono & Subdiacono: ſimilitèr ſtola latior nigra pro Diacono. Item præparentur pro aliis tribus, qui Paſſionem ſunt cantaturi, tres alii amictus, albæ, cingula cum tribus manipulis, ac totidem ſtolis (b) nigri coloris, tria legilia nuda cum tribus Miſſalibus. Præterea amictus, alba, & cingulum pro Subdiacono, qui Crucem in Proceſſione deferet, & tunc Planetâ plicatâ à Diacono exutâ utetur.

(a) Planetarum ante pectus complicatarum uſum, de quo ſuprà jam fol. 1. hujus libelli ſermo habendus erat, Majoribus duntaxat Eccleſiis, teſte Joanne Alcozer in ſuo Cæremoniali, Sacra Rituum Congregatio conceſſit. Idem quoque colligitur ex Rubricis Miſſalis de Qualit. Parament. num. 6. ubi ſtatuunt, quòd in Cathedralibus, & præcipuis Eccleſiis Diaconus & Subdiaconus utantur Planetis plicatis ante pectus. Eccleſiæ autem Majores ſive præcipuæ ſunt ex Merato ultra Cathedrales prædictas Collegiatæ, & Eccleſiæ Regularium inſigniores: quin & illæ ex Gavanto, quæ ob alias cauſas *præcipuæ* à populo, ſeu à Majoribus declarantur. In Minoribus Eccleſiis Miniſtri Sacri miniſtrabunt in Albis, Diaconus cum Stola & Manipulo, Subdiaconus cum Manipulo tantùm.

(b) Diaconalibus.

tur. Præparentur etiam duo Miſſalia, tegumentis nigris involuta, pulvinar nigrum, burſa ejusdem coloris intùs habens corporale & purificatorium, vaſculum cryſtallinum aquâ refertum cum ſuperimpoſito alio purificatorio ad abluendos & extergendos (ſi opus fuerit) digitos Celebrantis (a). Inſuper tobalea pro Altaris menſâ cooperiendâ, nec non alia mappa pro credentia, quæ nulla ex parte extra dictas menſam & credentiam pendeant (b).

Pa-

(a) item inſtrumentum ligneum ſeu crotalum tam pro elevatione hoſtiæ, ubi ſolet adhiberi, quàm pro ſigno Salutationis Angelicæ paretur.

(b) parentur ſuperpelliicea pro numero Clericorum Officio inſervientium, uti & Ritualia, candelæ, & faces pro Proceſſione, quæ juxta Meratum in Addit. ad Gavant. part. 4. Tit. IX. de Fer. VI. in Paraſceve num. 38. fol. 1099. edit. Rom. debent eſſe ex *cera alba*. Neque obſtat, quòd idem Meratus paulò antè eâd. part. num. 5. fol. 1080. dixerit, candelas ſive funalia debere eſſe *ceræ communis*. non obſtat, inquam: nam error is eſt Amanuenſis & Typographi, ab aliis Typographis, qui Opera illa Celeberrima recudent, corrigendus, ſcilicet non *ceræ communis*, ſed *alba* imprimendo: prout præfatus Auctor Eximius ipſemet hac ſuper re conſultus, die 15. Julii 1740. humaniſſimè ad nos Româ reſcripſit.

Paretur quoque manutergium & bacile cum urceo ex Cryſtallo; item candelabra cum candelis ex cera communi, id eſt, flavâ pro Ceroferariis, duo Thuribula, duæ naviculæ (a), Crux proceſſionalis diſcooperta (b), Baldachinum, & velum humerale, quæ ex antiquiſſima, & nunquam interrupta conſuetudine hujus Civitatis (c) ſolent eſſe nigri coloris; ſimiliter tres Cuſſini

G co-

(a) vel ſaltem una, & vas cum carbonibus accenſis.

(b) vel etiam cooperta; at denudanda poſtmodùm, quando Crux Altaris Majoris denudata fuerit. Porrò Sacriſta eo in caſu privatim Crucem proceſſionalem defert ad Presbyterium, eámque ad cornu Epiſtolæ propè credentiam reclinat.

(c) Venetæ, de qua eſt ſermo. Cæterùm, præſcindendo à laudata antiquiſſima conſuetudine, Baldachinum, in Proceſſione deferendum, hac etiam die non nigrum, ſed album eſſe debet, ficut & velum humerale pariter album juxta ſententiam Gavanti, Corſetti, Chriſtiani, Bauldry, Caſtaldi, imò juxta mentem Clementis XI. Pont. Max. declaratam in ſua Inſtructione pro Orat. 40. horarum, editâ 20. Jan. 1705. & confirmatâ, atque publicatâ noviſſimè juſſu Clementis XII. 1. Septemb. 1730.

coriacei (a) pro Celebrante & Miniſtris, ſuper quibus ſe proſternunt: nec debet ſubſterni aliquis pannus juxta ſententiam communem, quam ſequitur etiam ipſe Caſtaldus in ſecunda editione ſui Cæremonialis factâ anno 1625. Tandem pro adoratione Crucis tapes (b), & velum ſericum aurô intextum (c) cum cuſſino ejusdem qualitatis, nec non alii duo tapetes & cuſſini ad ſuperimponendas duas Sacræ Crucis imagines diſcoopertas pro Adoratione Crucis à populo facienda.

2. Presbyterium ſit quammaximè mundum: Altare nudum cum ſex tantùm Candelabris (d), ac totidem candelis ceræ communis. In medio colloce-

(a) vel lanei, coloris tamen violacei, nec de iis, qui ſunt ad uſum Miſſalis in Altari.

(b) oblongus, ſeu pannus violaceus, extendendus ſuo tempore: magnus etiam pulvinus ex ſerico villoſo violaceo, vel ex aliâ materia ſerica, ubi Crux erit ponenda, & velum ſuper eo explicandum.

(c) vel velum album ſerico violaceo contextum eſſe poterit.

(d) ferreis, aut ligneis obſcuri coloris.

locetur Crux velô nigrô (a) cooperta, ſed diſpoſita in modum, ut facilè diſcooperiri dein ſuo tempore poſſit. Cortinæ ſint nigræ, & Tabernaculum tegumentô nigrô (b) tectum.

3. Omnibûs ita diſpoſitîs, dicuntur Horæ Minores ſine luminibus. Dum dicitur Nona, Acolythi duo Miſſalia cum ſtola latiori, burſam, tobaleam, & pulvinar deferunt extrà in Presbyterium, atque ea ſupra credentiam reponunt, genuflexionem ſemper facientes, quoties ante Crucem transeunt; quod hodie ab omnibus, nemi-

G 2 ne

(a) vel etiam violaceô juxta Bauldry & Turrinum. Porrò de Cruce recolatur id, quod notatum eſt ſuprà *f.* 75. ſecundùm Cæremoniale Epiſcop. ſub Innocentio X. impreſſum, cui duntaxat addatur, quòd ſi nempe Crux ordinaria eſſet nimis incommoda: in tali caſu Cæremoniarius curare deberet, ut Crux alia in medio Altaris collocetur, quæ ſuo tempore diſcooperiatur, & dein, poſtquam publicæ adorationi expoſita fuerit, tandem ſuo in pede inter Candelabra ſupra medium Altaris reponatur.

(b) vel violaceô, vel omninò nullô tegatur juxta conſuetudinem cujuscunque loci; ùt ſuprà notatum fuit.

ne excepto (a), obſervandum eſt. Alii ex Clericis intra Chorum ſupra credentias diſponunt duo Candelabra, Thuribula, Naviculas (b), manutergium & Urceum cum bacili ex Chryſtallo: Crucem quoque proceſſionalem intra Chorum (c) conſtituunt. Poſtmodùm ſub finem Nonæ tres Acolythi, factîs debitîs genuflexionibûs, égrediuntur à latere Evangelii ad ponendum tres Cuſſinos ſupra ultimum gradum Altaris in æquali unius ab altero diſtantia. Eodem tempore in Sacriſtia Sacerdos & Miniſtri ſuîs paramentîs induuntur.

4. Poſt hæc Celebrans & Miniſtri (d), præeuntibûs ſolitîs Clericîs ſine incenſo, aut candelabrîs, manibûs tamen junctîs, procedunt ante medium Altaris: quò cùm pervenerint, factâ genuflexione, Diaconus ſine oſculis reci-

(a) neque Celebrante quidem.

(b) ſi fuerunt duæ.

(c) vel obſervari poterit id, quod notatum fuit ſuprà *fol.* 85. *in Notis lit. b.*

(d) unus poſt alium more conſueto.

recipit biretum Celebrantis, illúdque porrigit Acolytho: deinde ſe proſternunt (a), ita ut capita eorum (b) ſint ſupra Cuſſinos, genua verò in plano, ſeque collocant ordine ſequenti: videlicet, Celebrans in medio Miniſtrorum, inter Celebrantem & Miniſtros unus ex Clericis, qui ita ſint hinc inde ex utraque parte diſtributi: à latere exteriori Miniſtrorum duo Ceroferarii (c). Clerici advertant, quòd etiam capita in plano proſtrata habere debeant. Poſt intervallum unius *Pater noſter* circitèr, datô ſignô à Cæremoniario (d), ſurgunt Thuriferarius & Acolythus, factâque genuflexio-

 ne

(a) ante infimum Altaris gradum in rectâ linea utroque genu.

(b) & brachia.

(c) ſic proſtrati omnes aliquantulùm orant: quo tempore etiam ii, qui ſunt in Choro genuflectunt in ſuis locis & ſtallis, capútque inclinant, & orent, quod à populo paritèr in Eccleſia eſt obſervandum.

(d) ſurgente.

ne (a), ex credentia ſumunt tobaleam (b), quam ſuper Altare extendunt, ita tamen, ut nihil hinc inde pendeat. Dein ponunt (c) cuſſinum unà cum Miſſali aperto in cornu Epiſtolæ. Demum deſcendunt de Altari, unus ex una, alter ex altera ejusdem parte in medium tranſeuntes. Quò cùm pervenerint, Cæremoniarius monet Celebrantem, qui ſtatim ſurgit, adjutus à Miniſtris paritèr ſurgentibus: Miniſtri autem juvantur ab Acolythis, quibus incumbit, cuſſinos dein à gradibus Altaris auferre, & intùs in Chorum reportare.

5. Celebrans, poſtquam ſe unà cum Miniſtris erexit, factâ genuflexione aſcendit ad Altare, illúdque oſculatur in

(a) unus accedit ad credentiam in cornu Epiſtolæ, & tobaleam ſumit: alter ad cornu Evangelii, & dein quilibet in ſuo reſpectivè cornu ſupra medium Altaris aſcendit ad extendendam tobaleam ex libello Cæremon. Neapoli à Clericis Regularibus 1704. italicè edito.

(b) oblongam.

(c) vel etiam Cæremoniarius id officii præſtare poterit.

in medio. Tum accedit ad cornu Epiſtolæ, & adſtante Diacono à dextris ejus, Subdiacono à dextris Diaconi, legit prophetiam (a) ſine Titulo. Eodem tempore, quo Celebrans ad Altare aſcendit, Clericus, ad quem ſpectat, ſuperpelliceo indutus, & Miſſale ante pectus tenens (b), à latere Evangelii procedit, factâque in medio genuflexione, pergit ad locum, ubi cantari ſolet Epiſtola, & cantat Prophetiam in tono Lectionis (c). Advertat Lector, ne incipiat cantare prædictam Prophetiam, antequam Celebrans illam ſubmiſsâ voce inceperit legere: in fine verò vocem aliquantu-

(a) in cujus fine Miniſtri Sacri non reſpondent *Deo gratias.* Poſt lectionem verò Miniſtri recedunt, & ſtant unus poſt aliũ retrò poſt Celebrantem, ùt ſit ad Orationes Miſſæ. Acolythi ſtant in plano retrò poſt eum, qui prophetiam cantat.

(b) vel, ùt non rarò aliàs fieri ſolet, Lector cum Cæremoniario à ſiniſtris, accedit ad Altare, ab eo ante acceſſum recipit, atque ei à ſiniſtris ſemper aſſiſtenti poſt Lectionem iterùm reddit Miſſale.

(c) non oſculatur manum Celebrantis, neque ab eo benedictionem petit.

lùm inflectat. Completâ Prophetiâ, redit in Chorum à latere Epiſtolæ, factâ tamen priùs in medio conſuetâ genuflexione, & Cantores intonant *Tractum*, quem Chorus alternativè proſequitur.

6. Sacerdos in eodem cornu Epiſtolæ dicit *Oremus*: tum Diaconus ſtans poſt Celebrantem dicit *Flectamus genua*, & hæc dicens, primus omnium genuflectit (a), ſtatimque omnes cum eo paritèr genuflectunt, exceptô duntaxat Celebrante. Mox Subdiaconus poſt Diaconum exiſtens, primò ſurgit, & dicit *Levate*, quod ſemper pariformitèr in eodem caſu obſervari debet. Poſtea Celebrans, extenſîs manibûs, cantat Orationem (b), ſub qua Subdiaconus, præcedente Acolytho (c), vadit ad credentiam ſine genuflexioni-

(a) utroque genu.

(b) & omnes in Choro ſtare debent capite inclinato.

(c) vel Cæremoniario, qui aſſiſtere poterit, ſicut paulò antè dictum eſt de Lectione Prophetiæ.

xionibus (a), ibique depoſitâ planetâ plicatâ, accipit Miſſale ab Acolytho, quo iterùm præeunte, accedit in medium, ubi factâ genuflexione, in loco conſueto cantat (b) Lectionem in tono Epiſtolæ. Celebrans interim illam cum Tractu ſequenti voce ſubmiſſâ legit, aſſiſtente ſibi Diacono à dextris, qui tamen in fine non reſpondet: *Deo gratias.* Finitâ lectione, Subdiaconus reddit Miſſale Acolytho (c), atque eô præcedente cum debitis genuflexionibus vadit (d) ad reſumendam ſuam planetam, & ſtatim redit ad Celebrantem, ut ei aſſiſtat ad dexteram Diaconi. Poſtmodùm Choro Tractum incipiente, tres Acolythi deputati deferunt tria Legilia nuda extrà in Presbyterium ad cantandam Paſſionem, ſicut in Dominica Palmarum(e).

G 5 7. Dum

(a) at, quando tempus id permittet, cum genuflexionibus.

(b) ipſe ſibi Miſſale tenens

(c) vel etiam Cæremoniario.

(d) ſine oſculo manûs Celebrantis, ac ſine benedictione ab eo acceptâ.

(e) genuflexio ibi f. 23. n. 9. lin. 9. ordinata, videtur commodiùs fore, ſi omittatur.

7. Dum cantatur Lectio, in Sacriſtia induuntur paramentîs jam præparatîs illi, qui ad cantandam Paſſionem ſunt deſtinati, & exeundo, cantando, ac redeundo ſe gerunt eô modô, quo dictum eſt ſuprà in Dominica Palmarum. Celebrans, cùm pervenerit ad illam partem, quæ Evangelii locum tenet, ſtans in eodem cornu Epiſtolæ, dicit, facie conversâ ad Crucem: *Munda cor meum &c.* nec tamen ſubjungit: *jube Domine benedicere*, ſed ibi pergit ſtatim legere partem etiam prædictam. Poſt cantata verba *tradidit Spiritum*, Diaconus ſurgit cum aliis, & factâ in medio plani genuflexione, cum Acolytho accedit ad credentiam, ubi depoſitâ planetâ plicatâ, ſumptâque ſtolâ latiore, Miſſale ante pectus tenens, redit in medium, ibíque factâ rurſus genuflexione, aſcendit ad Altare. Tum, librô ſupra medium Altaris poſitô, genuflexus dicit: *Munda cor meum &c.* non tamen petit benedictionem, ſed ſtatim accipit Miſſale ex Altari, & cum

ſolitis

ſolitis Clericis, nec thuribulum, nec cereos habentibûs, vadit (a) ad cantandam in tono Evangelii illam partem, quæ ſupereſt. Eâ abſolutâ, Subdiaconus iñediatè librum Acolytho tradit, nec defert ad Celebrantem, ut is eum oſculetur; nec Diaconus Celebrantem incenſat, ſed factâ ab omnibus genuflexione, Miniſtri aſcendunt ad Altare, & aſſiſtunt (b) Celebranti, Diaconô ſtolam latiorem retinente uſque ad finem totius Officii, Ceroferariis verò in Chorum recedentibûs.

8. Miniſtrîs ad Celebrantem reverſîs, ipſe incipit *Monitiones*, & *Orationes*, ùt in Miſſali. Monitiones cantari debent in tono ſolemni, & manibûs junctîs: Orationes verò in tonò feriali, & manibûs extensîs (c), quod eſt advertendum. Miniſtri interim obſervabunt ea, quæ dicta ſunt de prima Ora-

(a) more conſueto.
(b) retrò, manibûs junctîs, unus poſt alium.
(c) ita, ut Sacerdos ad *Oremus* extendat, & jungat manus, capûtque Cruci inclinet, proſequens extensîs manibûs.

Oratione. Ad Orationem *pro Papa* (a), quando hic nominatur, Celebrans inclinat caput verſùs librum (b).

De Crucis Denudatione & Adoratione.

1. Circa finem Orationis *pro Judæis*, Thuriferarius & Acolythus, factâ in medio genuflexione, à latere Epiſtolæ intrant ad accipiendum tapetem, velum, & cuſſinum: mox verò à latere Evangelii redeuntes, tapetem unà cum velo extendunt in medio

(a) Sede Romanâ vacante, omittitur Monitio *Oremus & pro Beatiſſimo &c.* unà cum Oratione pro Papa: *Omnipotens ſempiterne Deus, cujus judicio &c.*

(b) inclinat caput inclinatione minimarum minimâ, quod etiam omnes alii faciunt. Item, ſi Imperator nondum ſit coronatus, additur in Monitione *Electo*. Si verò Imperium ſit vacans, tunc in Oratione *pro Imperatore* dicantur hæc verba: *Oremus & pro Romano Imperio, ut Deus &c.* nunquam tamen addi debet nomen Regis, vel alterius Principis, ſeu Domini loci, quia aliàs ageretur contra Bullam Pii V. Miſſali Romano præfixam: ùt ex Gerlaco Viaitore notat Meratus.

dio Presbyterii, ita ut ad ejus ultimos duos gradus prædictus tapes extenſus cum velo pertingat, ac dein per planum diffluat: poſtea cuſſinum ſupra penultimum gradum ponunt (a). Celebrans poſt cantatam ultimam Orationem in eodem cornu Epiſtolæ, adjuvantibus Miniſtris, deponit Planetam, ſicut & Subdiaconus ſuam (b), quæ ambæ ſtatim, vel à Cæremoniario, vel ab Acolytho, ad credentiam transferuntur: at Diaconus ſuam ſtolam latiorem retinet (c). Deinde deſcendunt omnes tres (d) ad angulum poſteriorem in cornu Epiſtolæ, facie ad

(a) vel etiam in infimo gradu Altaris ponere cuſſinum, & ſuper cuſſinum etiam extendere poſſunt velum pretioſum violaceô ſericô contextum, de quo in notis ſuperioribus mentio jam facta eſt.

(b) in eodem cornu Epiſtolæ extra Altare, adjuvante aliquô Acolythô, vel Cæremoniariô.

(c) circumfertur quidem S. R. C. Decretum 15. Septembris 1736. recèns emanatum, ac poſitum infrà in *Appendice ſub num.* 94. quod præcipit, Celebrantem & Miniſtros, antequam ad Crucis Adorationem pergunt, deponere debere *etiam manipulos.* Quia tamen diligentiſſimus P. Meratus non ſine fundamento monet, timendum eſſe, ne in citato Decreto extendendo aliquis error irrepſerit; ideo conſultius erit, ſi illud in praxim adhuc non deducatur, ſed retentis manipulis, prout de more, prædictus Celebrans cum Miniſtris Adorationem faciat, donec aliud à S. R. C. deſuper ſtatuatur.

(d) Celebrans medius inter Sacros Miniſtros,

ad populum verſâ, ut ſint quaſi collaterales Candelabris ſupra Altare exiſtentibus, & ſtatim Diaconus (a), aſcendens ad medium Altaris cum debitis genuflexionibus, Crucem ſumit (b), eámque ad Celebrantem defert ſine oſculis.(c)Celebrans Crucem ſibi delatam à Diacono recipit, faciem Crucifixi versùs populum tenens; ipſe verò, ſtans in medio Miniſtrorum (d), qui facies aliquantulùm ad Crucem converſas habeant, mox diſcooperit (e) Crucis ſummitatem uſque ad ejusdem Cru-

(a) relicto ibi Celebrante cum Subdiacono à ſiniſtris, procedit per planum ad medium Altaris.

(b) vel etiam factâ reverentèr genuflexione Cruci unicò genu ſupra infimum gradum, ibi expectat, donec eam ipſi tradat ſine oſculis Cæremoniarius, qui ideò factâ priùs genuflexione; eandem devotè de Altari capit, ac dicto Diacono tradit.

(c) Diaconus Crucem, conversâ facie ad ſeipſum, portat ad Celebrantem per planum, & eidem illam tradit, facie Crucifixi ad populum versâ.

(d) id eſt, Diaconi à dextris, Subdiaconi à ſiniſtris Celebrantis.

(e) versâ facie ad Crucem, ſiniſtrâ eam tenens, manu dexterâ diſcooperit &c.

Crucis lignum tranſverſum, ita tamen, ut Crucifixi caput non appareat; interim ei opem ferunt Cæremoniarius, & prædicti Miniſtri Sacri. Tandem idem Celebrans Crucem elevans (a) ad altitudinem oculorum, voce quidem gravî, ſed aliquantulùm demiſsâ (b), ex Miſſali, quod Thuriferarius ante eum ſtans ſuſtentat, incipit (c) cantare: *Ecce Lignum Crucis*: quam antiphonam ita à Celebrante intonatam Miniſtri unà cum Cæremoniario & Clericis debitò ordine ante Crucem ſtantibus proſequuntur, cantandò: *in quo ſalus mundi pependit*: &, dum Chorus (d) reſpondet (e): *Venite adoremus*: omnes, excepto

(a) Interim accedit ad Celebrantem aliquis Acolythus cùm debitis reverentiis deferens Miſſale, quod apertum tenet ante eum, ſtans renibùs ad populum verſis. Hoc munus etiam Thuriferarius ſubire poteſt, ùt hîc paulò pòſt animadvertitur.

(b) ita ut ſecundò, & tertiò altiùs cantare poſſit citra indecentiam.

(c) ſolus.

(d) ubi omnes nudo capite ſtant.

(e) ita, ut Celebrans, Miniſtri, & Clerici Officio inſervientes interim taceant.

cepto Celebrante, genuflectunt (a) capite valdè demiſsô (b). Erectîs denuò Miniſtrîs, Celebrans aſcendit ad Altare (c), in eodem ſcilicet loco, ubi dici ſolet *Introitus Miſſæ*, ibique (d) diſcooperit brachium dexterum Crucis, detegendô etiam caput figuræ Crucifixi eodem, quo antea, modo; niſi, quòd & Crucem, & vocem paulò altiùs, quàm antea, elevet; dein repetit antiphonam: *Ecce Lignum Crucis*, quam Miniſtri, & Chorus proſequuntur, ùt ſuprà. Demum Celebrans procedit ante medium Altaris, ubi (e) totam diſcooperit Crucem, & velum tradit

(a) utroque genu, etiam Diaconus & Subdiaconus. Neque tamen Thuriferarius ſeu Acolythus Librum ſuſtentans, genuflectit.

(b) non tamen ſe proſternunt uſque àd terram.

(c) ad partem anteriorem anguli ejuſdem cornu Epiſtolæ.

(d) ſtans medius inter Diaconum ſtantem à dextris ſupra ſuppedaneum Altaris, & Subdiaconum à ſiniſtris ſupra gradum proximiorem ſuppedaneo, quaſi illi angulo collateralis versùs populum, adjuvantibûs Miniſtris, & Cæremoniario, ſi opus ſit; diſcooperit &c.

(e) ſtans versùs populum.

tradit Subdiacono, hic Cæremoniario (a): Diſcoopertâ totâ Cruce, eam altiùs elevat, quàm primò, & ſecundò: tum tertiò etiam voce altiori cantat: *Ecce Lignum Crucis*, & alii reſpondent, ùt ſuprà (b).

2. Poſt tertiò cantatum: *venite adoremus*, Miniſtri manent genuflexi (c) ſupra ſuppedaneum, & Clerici, ubicunque ſint, ſive circa Celebrantem, ſive circa credentiam, in loco quisque ſuo (d). Interim Celebrans Crucem ambabûs manibûs elevatam portans, & faciem Crucifixi ad populum converſam tenens, deſcendit (e) in planum: dein genuflexus utroque ge-

(a) ſeu Acolytho, qui illud, factis debitis reverentiis, ſuper credentiam deponet.

(b) altiùs tamen, quàm ſecundâ vice.

(c) manibûs junctîs ante pectus, & facie versâ ad populum.

(d) Clericus de libro, quem claudit, genuflectit in ſecundo gradu versùs Altare.

(e) ſine ulla genuflexione, aut reverentiâ factâ Altari, quin & ſine Miniſtris, comitante tamen Cæremoniario, & quidem ſolo, qui fimbrias Albæ elevat, quando opus eſt.

nu, eam collocat (a) ſupra cuſſinum præparatum, adjuvante Cæremoniario, ſi opus ſit (b). Surgente Celebrante, etiam Miniſtri & Clerici ſurgunt, factâque unà cum Celebrante genuflexione, omnes, præcedentibûs Acolythîs, in Chorum recedunt (c) à latere Epiſtolæ, ubi depo-

(a) Plures hìc Auctores graviſſimi cum Turrino exiſtimant, quòd poſt tertiò cantatum *Venite adoremus*, Miniſtri Sacri cum Clericis deſcendere debeant de Altari, & ire ad locum Seſſionis, nempe ad ſcamnum, ſi quod adſit, ùt notatum eſt ſuprà: ibidemque ſtare, donec Celebrans genuflexus, adjuvante Cæremoniario paritèr genuflexo, aptaverit Crucem ſupra cuſſinum. Genuflexo Celebrante, Miniſtri Sacri, & omnes alii, quicunque ſint, ſimilitèr genuflectunt.

(b) & ſtatim denudantur omnes aliæ Cruces per Eccleſiam à Sacriſta, vel ab aliis, ſi commodè fieri poſſit: non verò aliæ imagines.

(c) vel, ubi in Presbyterio à latere Epiſtolæ ſcamnum nudum oblongum præparatum eſt, ad ſcamnum, qui ibi non ſunt, ſe conferunt, illúcque redeunt factâ Adoratione, ac capite tecto ſedent. Interim tamen, dum ab aliis fit Adoratio Crucis, aliquô Acolythô genuflexô ante Celebrantem tenente Miſſale apertum, ſubmiſsâ voce legunt *Improperia*, quibûs lectis, Acolythus Miſſale apertum collocat ſupra Altare in cornu Epiſtolæ.

poſitîs à Celebrante calceîs (a), vel crepidîs, regreditur (b) ipſe ſolus (prout clarè ex Rubrica colligitur) à latere Evangelii ad Crucis Adorationem, ter in via genuflectens utroque genu (c) (uti & reliqui omnes facient) primo quidem in egreſſu oſtioli; ſecundò in loco medio: ac tertiò ante ipſam Crucem. Tantam porrò moram trahet ad quamlibet ex dictis Adorationibus peragendam, quanta requiritur ad dicendum: *adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum*: quibûs verbîs tertiâ vice prolatîs, oſculabitur (d) reverentèr pedes Crucifixi (e): poſtmodùm ſurgit, & factâ genuflexione (f), à latere Epiſtolæ

(a) adjuvantibûs Acolythîs.

(b) manibûs junctîs, & detecto capite.

(c) & capite reclinato in terram.

(d) adhuc genuflexus.

(e) majoris humilitatis eſt, oſculari pedes, quàm latus Crucifixi, & ſaltem ob reverentiam ab oris oſculo abſtinendum eſt. Si ibi adſit particula veræ Crucis, eam pariter oſculabitur.

(f) Cruci unico genu, & Altari inclinatione.

læ revertitur in Chorum (a), ubi reſumptîs calceîs ſeu crepidîs, planetâ quoque reindutus (b), ad ſuam ſedem accedit.

3. Poſt reditum Celebrantis, Sacri Miniſtri, ambo ſimul, ſine planetis plicatis (videlicet Diaconus cum ſtola latiori, & Subdiaconus cum ſolo manipulo (c)) progrediuntur (d) ad faciendam Crucis Adorationem, & eôdem modô, quo de Celebrante dictum eſt, ter genuflectunt, orantes ad loca deſignata (e). Similitèr faciunt ſuc-

(a) vel ad ſcamnum, ſi quod pro Celebrante & Miniſtris in Presbyterio ſit poſitum, prout notatum eſt ſuprà.

(b) & manipulô ab Acolythis.

(c) quoad manipulos à Celebrante & Miniſtris ad adorationem retinendos vide ſuprà *fol.* 97. *in Notis lit. c.*

(d) ſimul manibûs junctîs.

(e) ita ut Crucem in medio habeant ad ultimam genuflexionem: priùs autem Diaconus, dein Subdiaconus pedes Crucifixi oſculatur: ſimul verò ſurgunt. Poſtquam redière, reſumunt calceamenta, & manipulos; Subdiaconus inſuper planetam plicatam. Mox ad Celebrantem, factâ ipſi inclinatione, ſe recipiunt.

ſucceſſivè omnes alii de Clero, poſt ipſos ad Crucis adorationem bini & bini accedentes, incipiendo quidem à dignioribus, ſimúlque advertendo, quòd omnes æqualem moram trahere in adoratione, ac pedes duntaxat Crucifixi oſculari debeant (a). Statim ac Celebrans ad Adorationem procedit, Cantores incipiunt cantare *Improperia*, quæ ex parte vel omittuntur, vel repetuntur juxta numerum Cleri accedentis vel minorem, vel majorem (b). Notandum etiam in eorum repetitione eſt, quòd reſumi debeat hymnus *Pange lingua &c.* nec apponenda concluſio, niſi in ultimo fine. Præterea

(a) quod paulò antè notatum eſt.

(b) Acolythi, poſtquam Crucem adoraverint, vel ſtabunt ad credentiam, vel propè Crucem adorandam remanebunt genuflexi. porrò ad confuſionem omnem impediendam, hæc ſerventur: nempe cùm duo priores ſecundò genuflectunt, duo poſteriores, qui ſequuntur, debent genuflectere primò, & quando illi tertiò, hi ſecundò: & quando illi diſcedunt, iſti genuflectunt tertiò, atque ſic alii deinceps.

poſſent quoque eodem tempore duo Sacerdotes, ſi propter populi multitudinem opus foret, ſtolâ nigrâ (a) induti, comitantibûs Acolythis, deferre duas alias Cruces, ac eas in locis ſeparatis pro Adoratione ponere, ut ſecundùm morem ſatis laudabilem (b) mares à fœminis dividantur.

4. Circa finem Adorationis Crucis Acolythi accendunt (c) ſex candelas Altaris, ſicut & illas duas Candelabrorum, quæ ſunt intùs ſupra credentiam

(a) ſupra ſuperpelliceum.

(b) mos hic dividendi mares à fœminis in Templis, ex Philone, Ambroſio, Auguſtino, aliíſque PP. in primitiva Eccleſia jam viguit. At ſucceſſu temporis, ùt fit, deſuetus, tandem à Divo Cajetano Thienæo Clericorum Regularium Inſtitutore duobus abhinc ſeculis revocatus eſt, erectô primùm Neapoli in Templo Majori S. Pauli ligneô ſepimentô. Exinde ubique locorum propagari cœpit. *ex Ant. Caraccioli in Not. ad Conſtit. Cler. Reg. item ex P. Magenio Vit. S. Cajetani p. 1. L. 3. c. 16. & ex Joh. Bapt. Caraccioli Cler. Reg. in Univerſitate Piſana Profeſſore meritiſſimo, qui nuperrimè vitam ejuſdem Sancti ſui Patris latino ſermone perelegantèr conſcripſit, rémque, de qua agitur, teſtimoniô confirmavit ampliſſimô.*

(c) ſumptô lumine de Sacriſtia, & factis debitis reverentiîs ad Altare.

tiam (a). Interim paratur alius Subdiaconus, qui Crucem in Proceſſione portabit, paramentîs jam præparatîs. In Sacellum, in quo aſſervatur Calix cum SS. Sacramento, transfertur Navicula, velum humerale, & Baldachinum (b). Lumina paritèr ita diſponuntur, ut Diaconus, dum aſcendit ad extrahendum calicem, iîs non impediatur. Candelîs in Altari Majori accensîs, Diaconus, præcedente Acolytho, egreditur à latere Evangelii, factâque in medio genuflexione, vadit ad credentiam, ibi accipiens burſam

(a) lampades Altaris etiam accenduntur. *ex Caſtaldo.*

(b) Sacerdotes, qui ſunt portaturi haſtas Baldachini, ſolâ cottâ ſeu ſuperpelliceo ſine ſtola indui debent ex Cæremon. Epiſcop. lib. 2. c. 26. & Decreto à S. R. C. edito die 15. Septemb. 1736. niſi in Cathedralibus Eccleſiis Beneficiati ſeu Manſionarii eas geſtent: iſti enim pluvialibus nigri coloris ſine ſtolis eſſent induendi. porrò Baldachinum propè Sacellum ponatur, & in Sacello, ſi adſit Altare, ſupra illud extendatur Corporale, ſuper quo deponendus eſt Calix cum SS. Sacramento: prout ſupra dictum eſt.

ſam (a) cum purificatorio & corporali: dein ad Altare aſcendit, ſupra quod corporale extendit, burſâ (b) ex parte Evangelii, ac purificatoriô ex parte Epiſtolæ collocato. Eodem tempore Acolythus (c) transfert Miſſale à latere Epiſtolæ ad latus Evangelii: Diaconus verò, ſignaculîs ſuîs locîs aptatîs, folia vertit, ac tandem ex eodem latere deſcendens, factâ genuflexione,

xione,

(a) Diaconus burſam intùs habentem corporale è manibus Cæremoniarii ſumit, purificatorio ſuper eam poſito. Portat autem burſam ad oculos uſque ambabûs manibûs elevatam, & quidem per breviorem viam ad Altare incedit; non enim poteſt per planum ad medium accedere, cùm adhuc ibi ſit Crux, quæ adoratur. factâ inde prædictæ Cruci genuflexione unico genu, & inclinatione Altari, aſcendit &c.

(b) non jacente, ſed inter Candelabra depoſitâ.

(c) vel Cæremoniarius.

xîone, ambabûs manibûs capit (a) Crucem, quam in pedem in medio Altaris poſitum infert, & hîs præſtitîs, cum Acolytho in Chorum redit(b). Poſt reditum Diaconi ſtatim duo Clerici removent tapetem, velum & cuſſinum, omnia in Sacriſtiam aſportantes (c). Similitèr duo Thuriferarii parant ſua thuribula, igne in eisdem poſito.

(a) neminì reverentiam faciens, quamquam aliàs tranſeuntes ante Celebrantem, ei inclinare debeant. Dum Crux ad Altare à Diacono reportatur, Celebrans (præcipuè ſi in Presbyterio ſupra ſcamnum ſedeat) ſurgens, tranſeunti Cruci, ſimul cum Subdiacono nudo capite genuflectit, ſicut & alii omnes de Choro. Deinde denuò ſedet tecto capite.

(b) vel ad ſcamnum, ùt ſuprà. Diacono ſive diſcedente, ſive redeunte, Subdiaconus interim ſtat nudo capite.

(c) aliæ quoque Cruces, per Eccleſiam expoſitæ, à Sacerdotibus ſtolâ nigrà ſupra ſuperpelliceum indutis, ac tapetes ſubſtrati unà cum pulvinis ab Acolythis amoveri deberent.

De Proceſſione, & reliquo Officio uſque ad finem.

1. OMnibûs ritè depoſitîs, inchoatur Proceſſio, progrediendo è Choro per oſtiolum à latere Evangelii eodem, quo heri in Cœna Domini, ordine (a): cum hac duntaxat differentia, quòd factâ ſucceſſivè ab omnibus genuflexione in medio Presbyterii, debeant bini & bini procedere ad Sacellum, in quo aſſervatur Calix cum SS. Sacramento, cum candelis quidem, & facibus, ſed extinctîs, præter Ceroferarios, qui cum candelis accenſis Crucem comitantur. Ultimò ſequitur Celebrans tecto capi-te

(a) præcedunt omnium primi, duo Thuriferarii cum igne, ſed ſine incenſo in thuribulo: ſequitur poſtea Subdiaconus cum Cruce detecta, ac tandem reliqui. Siſtit ſe Subdiaconus Cruciferarius cum Ceroferariis extra cancellos, facie verſa ad Altare, & duo Thuriferarii firmant ſe poſt dictum Subdiaconum, ut commodiùs procedant primi. inceditur tandem versùs Sacellum.

te (a) medius (b) inter Miniſtros. Duo Thuriferarii, cùm ad Sacellum pervenerint, expectant (c) adventum Celebrantis, & ſtant interim hinc inde diviſi, faciebûs ad invicem converſis. Subdiaconus Crucem deferens, & Ceroferarii non in ipſo Sacello, ſed è conſpectu ejusdem ſe ſiſtunt, nec genuflectunt, ſed locum congruum eligunt, unde facilè poſſint, incipiente Proceſſione, recedere priores. Clerus interim adveniens hinc inde in duas partes, ſicut heri, diviſus eſto.

2. Celebrans, ſtatim ac pervenerit ante fores Sacelli, deponit biretum, quod à Diacono traditur Cære-

mo-

(a) quamquàm alii velint, propter reverentiam Crucis nudo capite incedendum eſſe. At, cùm inceſſus iſte non ſit Proceſſio, & Epiſcopus etiam in tali caſu Mitrâ utatur, videtur aliis, æquius fore, ſi omnes tecto, quàm ſi nudo capite incedant.

(b) vel etiam, ùt aliis placet, unus poſt alium, ita ut prior ſit Subdiaconus, Diaconus poſterior, ultimus Celebrans.

(c) factâ genuflexione.

moniario. Tum candelæ & faces accenduntur, iiſque accenſis, omnes genuflectunt. Interim Celebrans & Miniſtri Sacellum ingreſſi, factâ ibidem genuflexione (a) ante Altare, aliquantulùm orant (b). Mox Diaconus cum debitis genuflexionibus, utroque genu factis (quem genuflectendi modum reliqui omnes deinceps obſervabunt) aſcendit (c) Altare ad recipiendam capſulam, in qua repoſitum eſt SS. Sacramentum. Eâ poſtea apertâ (d), deſcendit, & (e) miniſtrat naviculam, ex qua Celebrans ſumit incenſum, illúdque in ambobus thuribulis ponit abſque benedictione (f). Demum

(a) utroque genu, & profundâ inclinatione.

(b) genuflexi in primo gradu per ſpatium unius *miſerere*.

(c) aſcendit ſolus ad ſuppedaneum Altaris, aut ad locum proximiorem, unde facilè capſulam aperire poſſit.

(d) SS. Sacramento caput inclinat.

(e) ſe ſiſtens ad dexteram Celebrantis, & non genuflectens.

(f) incenſum miniſtratur, ùt heri, & Diaconus nec cochlear, neç manum Celebrantis oſculatur.

mum idem Celebrans, acceptô primô thuribulô, profundè ſe priùs inclinat; dein unà cum Miniſtris interim poſteriorem partem planetæ elevantibus ter SS. Sacramentum incenſat (a).

3. Redditô Thuribulô Diacono, ab hoc verò Thuriferario (b), Subdiaconus (c) imponit velum humerale ſuper humeros Celebrantis: quo factô, Diaconus aſcendit ad Altare, ibíque factâ genuflexione (d), extrahit Calicem de capſula, & dexterâ nodum, ſiniſtrâ

pedem

(a) incenſat SS. Sacramentum, exiſtens adhuc intra capſulam apertam. Poſt incenſationem iterum ſe cum Miniſtris eidem profundè inclinat.

(b) Thuriferarius, factâ genuflexione utroque genu, vel etiam juxta ea, quæ ſecundùm aliquorum mentem infrà notabuntur, unico genu propter impedimentum thuribuli, ſtatim cum thuribulo recedit, & genuflectit in plano Sacelli è regione alterius Thuriferarii uſque ad Proceſſionis initium.

(c) & Diaconus ſimul, adjuvante Cæremoniario.

(d) utroque genu cum profunda inclinatione, ùt multi cum Benvenuti volunt: vel potiùs unico genu, ùt aliis cum Bauldry placet, quatenùs commodiùs ſurgere poſſit.

pedem tenens, eum (a) tradit Celebranti genuflexo (b), ac ipſius manus non minùs quàm calicem ipſum extremitatibûs veli humeralis cooperit (c). Poſtmodùm factâ genuflexione, expeditè locum mutat, tranſeundo ad dextram; Subdiacono verò ſe recipiente ad ſiniſtram Celebrantis. Mox ſurgit Celebrans, & aſcendens ad ſuppedaneum, vertit renes Altari, faciem verò versùs populum. Tum ſtatim Cantores adhuc genuflexi intonant Hymnum: *Vexilla Regis prodeunt &c.* Primîs duobûs verſibûs intonatîs, omnes ſur-

(a) erecto corpore ſtans. Item, extracto calice ſtatim claudit capſulam alterâ manu, ſi in ea reperiatur Pyxis cum particulis conſecratis. Sin' minùs, relinquitur aperta. Pyxis tamen cum particulis ibi eſſe non deberet.

(b) Celebrans tenet ſiniſtrâ manu Calicis nodum undequaque ſuô velô albô coopertum, & dexteram ſuper eundem calicem ad cautelam ponit.

(c) ſicut heri. Dein Celebrans expectat, ut Diaconus adoret utroque genu cum inclinatione SS. Sacramentum: prout præter quamplures graviſſimos Auctores id docentes colligitur ex Cæremoniali Epiſcop. lib. 2. cap. 26.

ſurgunt, & factâ ab omnibus (a) genuflexione utroque genu, Proceſſio revertitur (b) per viam longiorem, prout heſternâ die: nec Thuriferarii unquam ab incenſatione (c) deſiſtunt, omninò advertentes, quòd extra Baldachinum ſemper incedere debeant. Dum fit Proceſſio, aliquis Miniſter ſeu cuſtos naviculam cum bireto Celebrantis ad Altare Majus transferet: quò cùm pervenerit Subdiaconus Cruciferarius & Ceroferarii (d), ſtatim in Cho-

(a) exceptis Thuriferariis.

(b) ad Altare Majus. Celebrans interim recitat cum Miniſtris hymnum *Vexilla Regis &c.* & pſalmos ſubmiſſâ voce. Item poterit etiam, ſicut heri, elevari umbella ſerica albi coloris ſupra caput Celebrantis, priusquam tranſeat, & Baldachino ſe ſupponat: haſtiferi enim cum Baldachino expectant ante fores Sacelli.

(c) ſicut heri notatum eſt.

(d) Subdiaconus, antequam deponat Crucem, & Cerofetarii, antequam deponant candelabra, nullam faciunt reverentiam.

Chorum recedunt (a) ad deponenda omnia: Clerus (b) verò, factâ genuflexione Cruci (c), in Presbyterio ante Altare circumcirca in duas partes ſe diſtribuit(d), ita ut juniores ſint proximiores Choro, Seniores oſtiolis cancellorum. Poſtea, cùm Celebrans

(a) Subdiaconus Cruciferarius, depoſitis in Sacriſtia ſacris veſtibûs, ſumit ſuperpelliceum cum candela accenſa, & in Presbyterium ad ſuum locum accedens, cum aliis genuflectit. Vel etiam juxta Caſtaldum, aliòsque Sacrorum Rituum Explanatores Subdiaconus deponere Crucem poterit in aliquo loco congruo à latere Epiſtolæ, Ceroferarii verò ſua candelabra ſuprà credentiam. Ille dein ſacris veſtibûs indutus, poteſt in parte Epiſtolæ genuflexus aſſiſtere, & iſti genuflectere, ùt ad Miſſam.

(b) ſi longior fuerit Proceſſio, poterit Chorus hymnum repetere, ea tamen conditione, ut ultima ſtropha dicatur ſemel tantùm in fine.

(c) vel, ùt Meratus congruentiùs putat, ſine tali genuflexione; quia aliunde dictus Clerus in actuali ſervitio SS. Sacramenti verſatur: imò nec genuflectere deberet, etiamſi in Tabernaculo Ciborium ſeu Pyxis cum Sacramento eſſet incluſa, & quidem ex eadem ratione.

(d) ita tamen, ut locus credentiæ non impediatur.

brans (a) ingreditur Presbyterium, omnes ibi genuflectunt (b): neque ſurgent, neque extinguent candelas & faces; donec Communio fuerit completa.

4. Celebrante in plano Altaris exiſtente, Baldachinum à Miniſtris deputatis in Sacriſtiam defertur: Thuriferarii verò in Chorum ſe conferunt à latere Epiſtolæ, quorum prior novîs carbonibûs in thuribulum impoſitîs, alter depoſitô ſuô thuribulô, ambo ſimul dein à latere Evangelii ſine mora redeunt, & in medio plani genuflectunt.

(a) medius inter ſacros Miniſtros, non planetam, ſed brachia, ſi opus eſt, ſuſtentantes. Remotô Baldachinô, adhiberi poteſt umbella uſque ad gradus Altaris, ſicut heri.

(b) profundè caput inclinantes, & SS. Sacramentum oculîs externîs devotè, interiùs autem humili ac propenſiore affectu proſequentes.

Celebrans (a) interim ſtans in plano, tradit calicem Diacono genuflexo ante gradus Altaris. Diaconus poſtmodùm ſurgit, & calicem, poſt peractam etiam à Celebrante adorationem, collocat in medio corporalis (b): interim verò Subdiaconus (c) velum humerale

(a) vel juxta alios Celebrans cum Miniſtris aſcendit ad ſecundum gradum Altaris, id eſt, ſuppedaneo proximiorem, ſi tres ſint gradus. Si verò duo ſint gradus, tunc ſiſtit in primo gradu, Subdiaconus interim genuflectit à ſiniſtris Celebrantis utroque genu. Celebrante igitur ſecundùm dicta ſtante in ſecundo gradu, Diaconus interim in ſuppedaneo flectit utrumque genu, verſis aliquantulùm renibûs ad cornu Epiſtolæ: dein ſurgit, & removet extremitates veli oblongi; denique iterùm genuflexus, accipit calicem, ùt heri.

(b) & ſtatim ſolvit vittam appoſitam *ad cautelam*, quam ponit verſùs cornu Epiſtolæ, extenditque velum parvum ejusdem calicis, ùt fit initiô Miſſæ. Memorial. Rit. hìc §. 6. n. 24. At ex more Clericorum Regularium, ùt paragraphô ſequenti dicetur, Diaconus vittam appoſitam ſolvit poſt incenſationem.

(c) adhuc genuflexus.

le amovet (a) ab humeris Celebrantis (b). Dein idem Diaconus (c) in planum regreſſus, miniſtrat (d) naviculam ſine oſculis, & Celebrans, genuflexus in primo gradu, incenſat SS. Sacramentum more ſolito (e).

(a) adjuvante Cæremoniario, & velum illud ab aliquo Acolytho, vel ipſo Cæremoniario ad credentiam reportatur, factis ante & poſt debitis genuflexionibus. Advertendum inſuper eſt, quòd velum humerale ſit amovendum non priùs, ſed poſtquam Celebrans, tradito Calice Diacono, genuflexus cum profunda inclinatione adoraverit SS. Sacramentum.

(b) genuflexi, non verò ampliùs inclinati.

(c) factâ priùs in ſuppedaneo propè Altare genuflexione unico genu, ut faciliùs ſurgere poſſit, ſed retibûs quaſi ad cornu Epiſtolæ versis ob reverentiam Celebrantis.

(d) ſtans; ſimilitèr & Celebrans ponit ſtans ter incenſum in thuribulum abſque benedictione, & nihil dicens.

(e) elevantibûs Miniſtris ſacris hinc inde partem poſteriorem planetæ circa brachia.

5. Incenſatô Sacramentô (a), Celebrans non lavat manus (uti ex Rubrica colligitur (b), & comuniter docent Doctores) ſed medius inter Miniſtros aſcendit ad Altare, ubi unà cum ipſis genuflectit unico genu. Mox Dia-

(a) Celebrans reddit thuribulum Diacono, hic Thuriferario, qui illud præparatum tenet pro incenſandis de more Oblatis. Poſt prædictam incenſationem Sacramenti, ſecundus Thuriferarius recedit cum thuribulo in Sacriſtiam, factâ priùs Sacramento genuflexione utroque genu, vel unico tantùm (ſi thuribulô & naviculâ nimis impeditus videatur) & depoſitis ibi thuribulô & naviculâ, redit in Presbyterium, ubi, factâ abſolutè utroque genu genuflexione, quia impeditus ampliùs non eſt; candelam accenſam tenet: niſi tamen ſecundus iſte Thuriferarius Navicularii perſonam gerat; tunc enim non accipiet prædictam candelam accenſam. Ratio autem, cur ſecundus Thuriferarius è Presbyterio diſcedere, ac ſecundum thuribulum dimittere debeat, alia non eſt, quàm quia Proceſſio jam eſt abſoluta, & aliunde extra Proceſſionem ac Reliquiarum tranſlationem uſus duorum thuribulorum non approbatur à S. R. C. editis Decretis 15. Martii 1608. *in Alexandrina*, ac 20. Julii 1618. *in Lucerina*. ita ferè erudítiſſimus Meratus cum aliis ſacrarum cæremoniarum Arbitris ſpectatiſſimis.

(b) contra prætenſam à quibusdam P. Caſtaldi in hoc emendationem.

Diaconus ſolvit vittam appoſitam, & calicem diſcooperit (a): dein patenam (b) ambabûs manibûs tenet elevatam, ac ſupra eam Celebrans hoſtiam conſecratam deponit (c) è calice, quem poſtmodùm ſtatim ſupra Corporale (d) iterùm reponit. Advertat proinde idem Celebrans, ne prædictam Hoſtiam digitis tangat. Quòdſi caſu eam tetigerit, lavabit ſtatim (e) digitos aquâ (f) con-

(a) nunc primùm velum è calice removetur etiam ab iis, qui *vittam appoſitam* ſolverunt ante incenſationem. Prædictum verò velum Cæremoniarius, exiſtens ad dexteram Diaconi, tradit Acolytho, ideo ad Altare accedenti. Tunc autem uterque genuflectit, & Acolythus poſtea velum plicatum, factâ iterùm genuflexione, ad credentiam reportat.

(b) Diaconus patenam inverſam denuò vertit & eam, ſicut & pallam, removet cum nova ſubſequenti genuflexione, unicô tamen genu.

(c) calicem declinando, ut ſacra Hoſtia de calice exiens, cadat ſupra patenam.

(d) in medio, ùt aliqui ex Auctoribus volunt; vel potiùs, ùt aliis magis arridet, ſupra Corporale quidem, ſed versùs cornu Epiſtolæ.

(e) ibidem.

(f) quam poſtea ipſe Celebrans poſt ſuam Communionem ſumet.

contentâ in vaſculo chryſtallino, à Subdiacono ipſi miniſtrando (a). Poſt hæc Celebrans accipit patenam (b) de manibus Diaconi, nihil dicens, nullôque Crucis ſignô factô cum patena. Tandem ſacram Hoſtiam in medio Corporalis, patenam autem ſupra illud (c) versùs cornu Epiſtolæ reponit. Eodem tempore Acolythus affert (d) è credentia ampullas (e), quas Miniſtris porrigit. Inde Diaconus infundit vinum (f); Subdiaconus verò (qui paulò antè (g) à ſiniſtra Celebrantis, ubi

ſtabat,

(a) & ſtatim etiam digitos extergit, Diaconô purificatorium miniſtrante. Commodiùs quoque erit, ſi Diaconus, qui purificatorium miniſtrat, locò Subdiaconi vaſculum aquæ paritèr miniſtret.

(b) quam non deoſculatur.

(c) non ſubtùs Corporale, ob reverentiam ſacrarum ſpecierum, quas tetigit, & quarum aliquod fragmentum remanere potuiſſet in ea.

(d) & cum genuflexione transfert ad Altare.

(e) aquæ & vini.

(f) quantum placuerit Celebranti. Calicem tamen nec ante, nec poſt extergit propter ſacras ſpecies.

(g) depoſitâ videlicet à Celebrante patenâ ſupra Corporale, vel etiam paulò citiùs.

ſtabat, cum debitis genuflexionibus (a) tranſire debuit (b) ad dexteram (c) Diaconi) miniſtrat aquam, non petens benedictionem. Celebrans nihil omninò dicit, ſed deponit calicem (d) in medio Corporalis, & Diaconus illum ſuâ pallâ cooperit (e).

6. Thuriferarius, ne per repetitos inutilitèr acceſſus & receſſus diſturbet adſtantes, poſt primam incenſationem manet in Presbyterio, & factâ genuflexione utroque genu (f), aſcendit u-

(a) unico genu ante & poſt ex utraque parte. Eadem facit genuflexiones, quando poſt miniſtratam aquam redit ad ſiniſtram Celebrantis.

(b) ſine genuflexione in medio.

(c) propè quam ſtat Cæremoniarius, ad quem Subdiaconus tranſiens paululùm accedit in ſecundo gradu laterali.

(d) neque cum eo Crucis ſignum facit.

(e) nullâ factâ genuflexione, quia intùs in calice non eſt Sacramentum. Acolythus autem, impoſitô vinô & aquâ, recipit ampullas, & cum genuflexione ad credentiam eas reportat. Subdiaconus in hac Feria VI. in Paraſceve patenam non ſuſtinet.

(f) vel, ùt aliis non abs re placet, unico genu, cùm ſit impeditus thuribulo.

nà cum Acolytho (a) ad Altare (b), ubi hic porrigit naviculam Diacono, ut is eam Celebranti miniſtret. Tunc Celebrans, non deſcendens in planum Altaris (prout citra Rubricæ aut Doctorum Auctoritatem perperàm prætendere quis voluit) ſed ſtans ſupra ſuppedaneum, ubi eſt, abſque benedictione ponit incenſum in thuribulum. Poſtea recipit thuribulum à Diacono (c), & factâ genuflexione unico genu (d), incenſat (e) more ſolito Oblata, dicens: *Incenſum iſtud &c.* Poſt incenſationem Oblatorum incenſat etiam Crucem juxta Decretum à S. R. C. editum in *Panormitana* 5. Julii 1698. & confirmatum

(a) geſtante naviculam, ubi eſt conſuetudo.
(b) & ambo ſupra ſuppedaneum Altaris genuflectunt utroque genu.
(c) ſine oſculis illud porrigente.
(d) ſimul cum miniſtris.
(e) Diaconus interim à dextris Celebrantis pedem calicis dexterâ tenet; ſiniſtrâ verò poſteriorem partem planetæ circa brachia tantillùm elevat. Subdiaconus eôdem modô ex altera parte planetam dexterâ elevat, ſiniſtrâ infra pectus admotâ.

matum 29. Septembris 1706. (a) Deinde pergit incenſare Altare (b). Dum fit incenſatio in cornu Epiſtolæ, Acolythus tollit dexterè Miſſale ex Altari, attendens, ne tobaleam, aut aliud quidpiam ſecum trahat. Sub incenſatione Celebrans dicit more ſolito verſiculos: *Dirigatur Domine &c.* ſicut &, quando reddit thuribulum Diacono, dicit verſiculum: *Accendat in nobis.*

(a) prout & juxta Cæremon. Epiſcop. recentiſſimè recognitum à Benedicto XIII. lib. 1. c. 21. §. 33. & c. 26. §. 16. unde dubium omne circa hunc Ritum nunc omninò ceſſat, éſtque corrigenda opinio eorum, qui Crucem incenſandam hîc non eſſe ſcripſerunt.

(b) more ſolito. Celebrans, dum genuflectit in incenſatione, & quidem unico genu, ponit manuum extremitates ſuper Altare, ut faciliùs genuflectere, & ſurgere valeat. Incenſatis Oblatis, Diaconus amovet calicem de medio Altaris, illúmque collocat à parte Epiſtolæ, ſed ſuper Corporale, cùm in ea forſan aliquod fragmentum hoſtiæ conſecratæ reperiatur. Statim poſtea Calicem iterùm reponit.

bis Dominus &c. (a) At Diaconus non incenſat Celebrantem, ſed ſtatim acceptum ab eo ſine oſculis thuribulum conſignat Thuriferario, qui, factâ genuflexione (b), in Chorum recedit ad illud deponendum ſupra credentiam (c). 7. Poſt

(a) verum Lignum ſanctæ Crucis à Celebrante, non genuflexo, ſed ſtante incenſari debet juxta Decretum S. R. C. 15. Septembris 1736. editum. Quare, ſi hac die in Altari verum Lignum S. Crucis eſſet expoſitum in Cruce, non ideo à Celebrante genuflexo incenſari deberet.

(b) unico genu, ùt multi volunt, recedit unà cum navicula.

(c) inde ſtatim in Presbyterium ad ſuum locum revertitur, faciens in medio genuflexionem *utroque genu*, cùm nunc non ampliùs reperiatur impeditus à thuribulo & navicula, ùt erat antea, dum in Chorum recedebat. Porrò à multis Sacrorum Rituum Interpretibus ſæpenumerò quoad genuflexionem *utroque genu* fit exceptio, & tam heri in Cœna Domini, quàm hodie Fer. VI. in Paraſceve genuflexio coram SS. Sacramento *unico genu* facienda præſcribitur; præſertim tunc, quando ipſis ita congrueré videtur vel ob impedimentum earum rerum, quæ actu geſtantur, vel ob neceſſitatem faciliùs atque expeditiùs ſurgendi. Attamen apud Clericos Regulares uſu receptum eſt, quòd & Thuriferarius, & Navicularius actu thuribulum ac naviculam reſpectivè geſtantes, coram SS. Sacramento *utroque genu* ſemper genuflectant, niſi id anguſtia temporis impediat.

7. Poſt redditum Diacono thuribulum, Celebrans à latere Epiſtolæ deſcendit (a) in planum, ubi versâ facie ad populum, lavat manus (b), Ceroferariis (c) urceum & bacile ex cryſtallo unà cum manutergio miniſtrantibûs, & ideo circa finem incenſationis ambo à latere Epiſtolæ pro majori commodo in Presbyterium exire debent (d). Lotîs poſtea manibûs, Celebrans ex eodem latere aſcendit (e) ante medium

(a) deſcendit cum Miniſtris ſacris in planum extra gradus Altaris per gradus laterales cornu Epiſtolæ, advertens, ne terga vertat Sacramento.

(b) nihil dicens.

(c) vel aliis duobûs Acolythis.

(d) Diaconus tunc ſub lotione erit à dexteris; Subdiaconus verò à ſiniſtris Celebrantis, tenentes faciem ad eum converſam, & terga ad populum, mediúmque habentes Ceroferarium ſive Acolythum cum urceo & bacili, eidem Celebranti ſine oſculis miniſtrans manutergium, acceptum de manu alterius Ceroferarii ſive Acolythi, quia hic & nunc ſacri Miniſtri non ſunt in aliis impediti.

(e) per eosdem gradus laterales Epiſtolæ.

dium Altaris (a): Subdiaconus ſe ſiſtit in medio ultimi gradûs (b), & Diaconus accedit ad Miſſale (c), ibique Celebranti aſſiſtit. Tum Celebrans, factâ genuflexione (d), dicit manibûs junctîs (e): *in ſpiritu humilitatis &c.* & factâ iterùm genuflexione (f), vertit ſe ad populum in cornu Evangelii (g), dicens (h): *Orate Fratres &c.* non tamen

(a) ibique genuflectit unico genu. Cæremoniarius tempeſtivè accedit ad latus Altaris in cornu Evangelii ſupra ſecundum gradum cum genuflexione.

(b) illuc per planum incedens, & genuflectit etiam unico genu.

(c) in tranſitu per medium genuflectit unico genu: quæ quidem genuflexiones, quantum fieri poteſt, tempeſtivè fiant cum Celebrante. Ceroferarii ſeu Acolythi interim urceum, pelvim, & manutergium reportant.

(d) unico genu: inclinatus inclinatione mediocri dicit &c.

(e) manibûs junctis ſuper Altare, & ante ejus medium poſitis, ùt aliàs, dicit ſubmiſsâ, ſed intelligibili voce &c.

(f) ante genuflexionem Celebrans oſculatur Altare.

(g) à latere, ne terga vertat Sacramento.

(h) mediocri voce, & proferens reliqua verba ſecretò.

men perficit circulum, ſed per eandem viam revertitur (a) ad Altare: nec etiam reſpondetur à Diacono: *Suſcipiat &c.* Celebrans ergo ſtatim proſequitur, junctis manibus (b): *Oremus, præceptis ſalutaribus &c.* Cùm incipit *Pater noſter &c.* extendit manus, atque eodem tempore Diaconus (c) deſcendit ad ſecundum gradum, ubi ſtat poſt Celebrantem (d). Reſponſo à Choro: *ſed libera nos à malo*: Celebrans dicit ſubmiſsâ voce, *amen*: quo dictô, ſtatim proſequitur in tono feriali, manibûs item extensîs: *Libera nos &c.* & in

(a) nempe ad Altaris medium, ubi genuflectit iterùm unico genu, & Sacramentum adorat.

(b) & altâ voce.

(c) factâ genuflexione ibi à ſiniſtris Celebrantis unico genu.

(d) & ante Subdiaconum ſtantem in ultimo gradu, vel etiam in plano ùt volunt alii, uſque ad elevationem Hoſtiæ excluſivè. Interim cùm genuflexione ad Librum accedit Cæremoniarius, qui Diaconi aſſiſtentiam toties aſſumit, & derelinquit, quoties illam deſerit aut auſſumit Diaconus aut Subdiaconus.

in fine Chorus altè reſpondet, *amen* (a).

8. Expletâ Oratione, Celebrans devotè genuflectit (b): deinde erectus, ſupponit patenam Sacramento, & ſtatim manu dexterâ (c) accipiens Hoſtiam, eam elevat in altum, ita ut à populo videri atque adorari poſſit: ipſe verò figit ſemper in eam oculos, patenam interim manu ſiniſtrâ ſupra Altare tenens (d). Dein ſtatim reponit Sacra-

(a) perſeverantibûs adhuc tam Diàconô, quàm Subdiacono poſt Celebrantem, & Cæremoniariô ad aſſiſtentiam Libri. Ante elevationem Hoſtiæ Cæremoniarius, factâ genuflexione unico genu, recedit ad ſecundum, ſive etiam, ùt aliis videtur, ad ultimum gradum lateralem cornu Evangelii.

(b) unico genu.

(c) inter pollicem & indicem.

(d) Celebrans patenam non elevat, ſed eam ſuper Corporale poſitam manu ſiniſtrâ extensâ tenet, ita ut pollex & index dictæ manûs innitantur patenæ, reliqui digiti ponantur ſuper Corporale. Advertat etiam idem Celebrans, ne Hoſtia elevata tunç Corporalis limites excedat.

Sacramentum (a), Miniſtris hinc inde genuflexis in ſuppedaneo. Ad memoratam Hoſtiæ elevationem à ſacris Miniſtris non elevatur Planeta Celebrantis, nec Hoſtia à quoquam incenſatur, nec tabula lignea ſeu crotalum pulſatur (b) pro excitandis ad SS. Sacramenti adorationem circumſtantibus. Prædicta autem omnia hac die, aut vetantur expreſsè, ùt communior ſacrorum Interpretum fert ſensus; aut datâ operâ ab aliis prætermittuntur, ùt fecit Caſtaldus. Quocirca non video, quo fundamento approbari ea poſſint à certo quodam ſacrarum cæremoniarum compendio, quod præfato Caſtaldo affingitur. Poſt elevationem

(a) non ſuper patenam, ùt docent ferè omnes, ſed eam declinatam ſtatim ſuper calicem dividit more ſolito, ùt dicetur infrà.

(b) de quo ſupra in Notis. Ubi tamen ejusmodi pulſatio abſolutè in uſu jam eſt, eam reprobare non auderem.

nem (a) Diaconus accedit ad dextram Celebrantis, & Calicem diſcooperit (b), quo diſcoopertô, Celebrans ſacram Hoſtiam dividit in tres partes, minorémque ex eis partem immittit in Calicem more ſolito, nullô tamen factô ſuper eum ſignô Crucis. Poſtmodùm Diaconus iterùm eundem Calicem cooperit (c), & cum debitis genuflexionibus ad Miſſale tranſit

(a) videlicet, quando Celebrans incipit declinare Hoſtiam ſacram jam elevatam, tunc ambo, tam Diaconus, quàm Subdiaconus ſurgunt, & Diaconus accedit ad dextram Celebrantis, factis debitis genuflexionibus ante diſceſſum, & poſt acceſſum.)

(b) ſine genuflexione, quia in eo adhuc non eſt Sacramentum.

(c) & tam ipſe, quàm Celebrans ac Subdiaconus genufleƈtunt unico genu, & ſtatim ſurgunt.

ſit (a). Celebrans verò, omiſsîs omnibûs, quæ aliàs ſequuntur, inclinatus dicit ſecretò Orationem (b): *Perceptio*

K

(a) Quòd Diaconus tranſire debeat ad Miſſale, ſententia etiam eſt Nicolai de Brabon part. 3. c. 12. n. 13. Viri Sacrorum Rituum peritiſſimi, eámque paſſim in praxim deducunt Clerici Regulares, utpote Rubricis conformiorem: nihil enim innovandum eſt circa hunc Ritum, niſi Rubricæ propriæ hujus diei quid novi præſcribant, atqui nihil novi præſcribunt, ergo &c. Hæc eadem ſententia à doctiſſimo P. Merato quammaximè probatur. At, quià altera oppoſita, quæ vult, ut Diaconus à dextris Celebrantis aſſiſtere pergat, Subdiacono ad Librum remanente, & folia, quando opus eſt, vertente: communiorem Doctorum pro ſe habet, ideo ab hac recedere non audet. Huc etiam ſpectare videntur, quæ clariſſimus P.D. Bartholomæus Gavantus in Comment. in Rubr. Miſs. p. 2. tit. XI. n. 3. lit. O. circa aſſiſtentiam Diaconi *ad Librum* aliàs in Miſſa notat. Si igitur Diaconus juxta diſpoſitionem hujusce Libelli tranſeat ad Miſſale, tunc Subdiaconus tranſire debet ad dextram Celebrantis. In tranſitu ambo in receſſu & acceſſu unico genu genuflectunt, ſed non in medio, & Diaconus per ſecundum gradum, Subdiaconus per tertium tranſit.

(b) & tunc ſtat manibûs junctîs, ſuper Altare poſitîs, ita ut duo digiti minores frontem Altaris tangant, junctîs pollicibûs & indicibûs inter ſe, oculis ad Sacramentum intentîs &c.

ceptio &c. Rurſus, factâ genuflexione (a), ſumens patenam cum Hoſtia, dicit: *Panem cæleſtem &c.* Poſtea (b) ter percutit pectus, & ter itidem repetit: *Domine, nonſum dignus &c.* quo tertiò dictô, ſignat ſe cum Sacramento, dicendo: *Corpus Domini noſtri &c.* Miniſtrîs ſacrîs interim cum profunda inclinatione ſtantibûs.

9. Peractâ à Celebrante Communione, Subdiaconus (c) diſcooperit calicem (d), & dein factâ ſimul cum Miniſtris genuflexione, Celebrans, nihil dicens, nec ſe ſignans prædicto calice,

(a) ſimul cum Miniſtris unico genu, magis tamen devotè.

(b) ſumens Hoſtiam cum patena, ùt moris eſt.

(c) à dextris Celebrantis.

(d) Gavantus quidem habet, quòd *Diaconus* diſcooperiat calicem, ſed per errorem Typographi, ùt probabilitèr afferit Meratus. Idem videtur dicendum eſſe de Cæremoniali P. Caſtaldi, ubi paritèr ad id muneris *Diaconus* deſtinatur, & locò *Subdiaconi* nominatur. Diſcoopertô calice, genuflectit unico genu tam Subdiaconus, quàm Celebrans & Diaconus; adeſt enim in calice particula Hoſtiæ conſecratæ.

lice, aſſumit (a) vinum & aquam cum particula ſacra in eo exiſtente (b). Quo facto, omnes ſtatim ſurgunt, & extinctis tunc luminibus, factâque genuflexione ante Crucem, in Chorum recedunt. Eodem tempore Acolythus (c) ex credentia ſumit ampullas, porrigendas Subdiacono, qui eas adminiſtrat (d) Celebranti ad abluendos duntaxat ejus digitos. Celebrans dein ſumit ablutionem in medio Altaris, & poſt eam ſumptam dicit (e) manibus

(a) more ſolito: & interim Diaconus & Subdiaconus ſtant, ad dextram & ad ſiniſtram Celebrantis reſpectivè, profundè inclinati.

(b) Cæremoniarius in ſecundo gradu cornu lateralis Evangelii manet genuflexus ab elevatione Hoſtiæ uſque ad ſumptionem Calicis. Si autem duo ſint Cæremoniarii; primus à latere Evangelii, ſecundus à latere Epiſtolæ ſe locat. Secundus, quando opus eſt, Acolythum comitatur, & juvat.

(c) primus, comite Cæremoniario, & ſi duo ſint, comite Cæremoniario ſecundo.

(d) poſitâ etiam in calice aqua, cum qua Celebrans fortè abluit digitos antea, ſi fortè tetigerit hoſtiam.

(e) inclinatus:

junctîs ante pectus (a): *Quod ore ſumpſimus &c.* omittit autem: *Corpus tuum, Domine &c.* ſicut & purificationem. Diaconus interim clausô Miſſalî, ac præeunte Thuriferariô, vadit ad credentiam, ubi, depoſitâ ſtolâ latiorî, reſumit planetam plicatam (b), Thuriferarius verò capit biretum Celebrantis. Subdiaconus, ſumptâ à Celebrante ablutione (c), extergit calicem

licem

(a) & non ſuper Altare, ùt aliqui prætendunt.

(b) & ſtatim redit ad Altare ad dexteram Celebrantis, factîs debitîs genuflexionibûs unico genu. Similitèr ab Acolytho ad Altare defertur velum nigrum pro cooperiendo calice, illúdque ſupra menſam à latere Evangelii ponitur.

(c) digitorum in calice.

cem (a), eúmque more ſolito accommodat (b). Poſtea Celebrans, factâ inclinatione, deſcendit cum Miniſtris

 in

(a) in cornu Evangelii; videlicet, ſuper calicem purificatorium extendit, dein patenam, pallam, velum nigrum, corporale intra burſam ſuperimponit, velô ſupra burſam revolutô. Mox calicem ita aptatum, ſolus tamen ſine comite, defert ad credentiam per gradus anteriores, factâ priùs genuflexione Cruci unico genu, ipsúmque collocat ſuper eam in medio, & velum in anteriori parte revolutum explicat, ita ut totum calicem cooperiat: tum ſtatim redit ad Altare ad ſiniſtram Celebrantis, factâ iterum Cruci genuflexione. Vel etiam juxta morem aliquarum Eccleſiarum prædictus calix aptatus defertur ad credentiam à Cæremoniario ob temporis anguſtiam; Subdiaconus enim ſtatim cum Celebrante diſcedere debet. En, quàm exáctè iterùm ad rem noſtram Meratus nunquam ſatis commendandus!

(b) dum Celebrans digitos abluit in calice, & non priùs, juxta Gavantum: vel ſecundùm Biſſum poſt ſumptam à Celebrante ablutionem: non autem immediatè poſt ſumptionem calicis,ùt vult Caſtaldus; Acolythi cereos colligunt, aſportant, atque extinguunt, ſurgentibûs omnibûs, & ad loca ſua accendentibûs, ſi fuerint ante Altare quaſi in gyrum genuflexi. Apud Clericos tamen Regulares quilibet cum ſuo cereo in Chorum recedit, recedente paritèr Celebrante cum Miniſtris, poſt dictam Orationem: *Quod ore ſumpſimus &c.* ac tunc à Clericis colliguntur Cerei.

in planum, & ibi receptô de manibus Diaconi biretô (a), factâque genufle-xione, regreditur in Chorum (b), in cujus medio intonat antiphonam *cali-cem.* Deinde, depoſitâ ibidem in eo-dem loco planetâ & manipulô, acce-dit ad ſuam ſedem, ſolâ ſtolâ indutus: Miniſtri autem redeunt in Sacriſtiam, factâ priùs Celebranti inclinatione, ac Cruci genuflexione (c): Chorus tunc proſequitur Veſperas, ſub quibus ce-rei Altaris manent accenſi (d). Deni-que Acolythi Calicem, Miſſale, pul-vinar,

(a) ſine oſculis porrectô.

(b) Thuriferario ſine thuribulo præcedente unà cum Acolytho, & eos ſequentibûs Ceroferariis ſine candelabris. tum venit Cæremoniarius, omnes modeſtis oculis, & nudo capite. Tandem Diaconus & Subdiaconus unus poſt alium tecto, vel detecto capite, juxta cujuslibet Eccleſiæ morem, ante Celebrantem caput tectum habentem incedunt junctis manibûs.

(c) vel juxta aliquorum morem etiam Celebrans in Sacriſtiam pergit unà cum Miniſtris, & ſi exiguus ſit Clericorum numerus, redeunt in chorum, ſuperpelliceis induti, ad Veſperas continuandas.

(d) nempe ſex.

vinar, tobaleam cum reliquis in Sacriſtiam aſportant, relictîs duntaxat in Altari candelabrîs unà cum Cruce (a).

SABBATUM SANCTUM

De

Benedictione ignis, Proceſſione, & Præconio.

1. PRo Officio hujus dieì Altaria veſtiuntur paramentîs pretioſioribûs albi coloris, parietes paritèr ornamentîs ſolemnioribûs: verbô: tam feſtivè Eccleſia ornatur hodie, ut & apparatu, & munditie Sponſæ novellæ formam præſeferat

(a) poſt Veſperas ſignum cum inſtrumento ligneo ſeu crotalo datur pro Salutatione Angelica, genufleCtentibûs omnibûs. Tandem ſurgunt, & debito ordine diſcedunt. Mox candelæ Altaris extinguuntur.

rat (a). Attamen, antequam Myſterium Reſurrectionis Dominicæ recolatur, Altare Majus coopertum eſſe debet conopæô (b), ac Antipendiô violacei coloris, & Lampades (c) Eccleſiæ manent extinctæ, donec tempus fuerit, eas accendendi, ùt infrà dicetur.

(a) Altàre Majus duplici veſtiendum eſt palliô ſeu Antipendiô; interiore albô pretioſô, exteriore violaceô, quod facilè amoveri poſſit. Supra idem Altare ponantur ſex candelabra, vel plura, juxta conſuetudinem variam Eccleſiarum, cum totidem cereis ceræ albæ, & Crux in medio diſcooperta: Statuæ verò & Imagines in ipſo non appareant, niſi finitis Litaniis, poſt quas duntaxat detegantur. Gradus etiam Altaris tunc tapetibûs feſtivìs operiantur, quia decentius eſt, ut remaneant nudi uſque ad illud tempus. Item, ſi commodè fieri poſſet, Altaria minora paritèr cooperienda eſſent duplici palliô, albô videlicet, & violaceô deſuper, ita ut ex iis, etiam circa finem Litaniarum, amoveatur violaceum. Deficientibûs autem palliis violaceìs, eſſent cooperienda albis, etiam ante Officium.

(b) conopæum Tabernaculi ſubtùs ſit album, ſuprà verò violaceum, facilè removendum circa finem Litaniarum, ſi fieri poteſt: alitèr initiô ſtatim tegatur ſolô tegumentô albô. Præterea, Baldachinum ſeu Umbraculum, ſi quod eſt appenſum ſuper Altare Majus, ſit album.

(c) ſicut & candelæ ſuper Altare Majus.

tur. A latere Evangelii præparatur Angeli ſimulacrum, vel aliud candelabrum pro cereo ſuſtinendo. Ad cantandum *Exultet* aptatur Pulpitum ſeu Legile, tegendum velo albo (a), & ad ſuſtinendam Arundinem pes quidam (b). Rurſus à latere Epiſtolæ accommodatur locus (c), ut Celebrans cum Miniſtris ſedere poſſit. (d).

2. In Sacriſtia parantur paramenta ſolemniora albi coloris pro Sacerdote, Diacono, & Subdiacono, ſicut & reliqua, quæ neceſſaria ſunt pro Miſſa

(a) pretioſo, pendente ad terram, & ſuper illud imponitur pulvinus, intextus aurô vel argentô.

(b) marmoreus, vel ligneus.

(c) Biſſus & Bauldry cum aliis volunt, apponendum eſſe in plano ſcamnum oblongum nudum, vel tria ſcabella, ut poſſint ſedere Celebrans & Miniſtri Sacri (ſi velint) ad Prophetias, ſed paulò ante Miſſam pannô viridi; vel, ùt tenet Caſtaldus, pannô violaceô cooperiendum.

(d) Imagines omnes in Eccleſia, ùt antea, adhuc tectæ manent uſque ad finem Litaniarum; exceptis Crucibûs, quæ heri fuerunt detectæ.

ſolemni (a). Item pluviale, tres planetæ, quarum una ſit ſoluta, aliæ duæ plicatæ, duæ ſtolæ (b), & tres manipuli violacei coloris, pulvinus paritèr violaceus (c), duo Miſſalia (d), Legile nudum cum Miſſali ſuperimpoſito pro legendis Prophetiis: tres alii pulvini violacei (e) capiti Celebrantis & Miniſtrorum ſupponendi, dum ad Litanias ſunt ante Altare proſtrati. Inſuper præparatur Crux proceſſionalis, pelvicula (f) cum quinque granis incenſi

(a) ſcilicet velum humerale album pro Subdiacono, Calix ſuô velô albô cum burſa, & intùs corporali tectus, urceus cum bacili & manutergiô, ampullæ, duo candelabra cum candelis albis pro Ceroferariis, Intortitia alba ad elevationem, clavis ad claudendum ſuo tempore Tabernaculum.

(b) quarum una ſit Diaconalis.

(c) item & alius pulvinus albus pro Miſſa ſolemni.

(d) Miſſalia, quæ adhibentur in Miſſa ſolemni, ſint tegumentô albô, ante Miſſam violaceô cooperta, exceptô eô, quo utitur Diaconus ad cantandum *Exultet*, & album eſſe debet.

(e) coriacei, vel ex panno violaceo.

(f) argentea, vel etiam ex alia materia.

cenſi (a), thuribulum, navicula & vas aquæ benedictæ: Cereus etiam Paſchalis(b), cujus ellychnium ungatur oleo, ut faciliùs accendi poſſit. Denique Arundo undequaque floribûs pulchrè circumtecta cum tribus candelis (c) in ejus cuſpide poſitîs, quæ in infima ſui parte deſinant in unam candelam, & poſtea

(b) *novi*, quod alii *maſculum* vocant. Item pulchrè ſint elaborata illa quinque grana in modum *nucis pineæ*, ferreîsque clavîs ſuffulta, & in extremitate inaurata, modò tamen plus thuris appareat, quàm alterius rei. Nec alia quantitas Incenſi videtur quinque granis addenda.

(b) Circa pondus aut magnitudinem *Cerei Paſchalis* nihil eſt determinatum. Octo tamen vel decem librarum plerumque eſſe ſolet: in quibusdam Eccleſiis triginta trium in honorem 33. annorum Domini N. J. C. in ſacroſancta Eccleſia Lateranenſi octoginta, & ponitùr ſupra columnam marmoream tortuosè elaboratam. Obſervant hîc viri eruditi, Cereum illum ab origine ſua columnam fuiſſe ceream, in qua inſcribebatur Officii Ordo per totum annum, nempe uſque ad futurum Paſcha, unde Annus incipiebat, & *Breve Anni* apellabatur. Cereus iſte ex cera alba ſit, & intra Crucis effigiem quinque foramina in modum Crucis diſpoſita habere debet. Infra dictam Crucem poſſunt Sancti Patroni, vel Titularis, aut Loci, ſeu Religionis inſignia depingi.

(c) albis, quarum ſingulæ erunt duarum circitèr unciarum.

ea diſtinguantur (a), æqualitèr inter ſe diſtantes. In Choro etiam ponatur ſcabellum cum Miſſali ad cantandas ſuo tempore Litanias (b).

3. In loco congruo (c) præparatur cum forcipe vas aptum (d), in quo carbones extincti pro benedicendo novo igne

(a) in tres quaſi ramos ex eodem trunco naſcentes, & deſinentes in triangulum. Arundo autem ſit, non baculus, ſed vera arundo, cujus altitudo, juxta peritiores Sacrorum Rituum explanatores, deberet eſſe decem circitèr palmarum: quamquam alii alitèr ſentiant pro vario more & praxi.

(b) Præparentur inſuper campanulæ pulſandæ ad Angelicum Hymnum: ſimilitèr candelulæ pro accendendis ſuo tempore lampadibus, & candelis Altaris.

(c) qui ſit extra Januam Majorem Eccleſiæ, vel in atrio, vel in ipſius aditu, vel etiam in Clauſtro apud Regulares. Solet ibi paritèr pavimentum herbis & floſculis odoriferis conſpergi, ſicut & via, per quam procedendum eſt de illo ad Altare. Id autem muneris multis in locis apud Clericos Regulares præſtant duo Clerici vel Converſi, qui ſuperpelliceis induti, cum lancibus præcedunt, ac floſculos deſuper poſitos hinc inde diſſeminant.

(d) quod ponitur ſupra ſcamnum ſeu ſcabellum, &, dum ſit benedictio ignis a Celebrante, ſit à dextris ejusdem.

igne ſuo tempore accendantur. Inde collocari debet menſa aliqua cooperta ſolâ mappâ (a), & ſupra eam (b), ſuo item tempore, ponitur Dalmatica, ſtola & manipulus albi coloris pro Diacono: alius itidem manipulus (c), ſed violaceus pro Subdiacono. Ibidem præterea ponitur pelvicula cum quinque granis Incenſi, thuribulum, navicula, vas aquæ benedictæ (d), Miſſale (e): propè menſam verò prædictam Crux proceſſio-

(a) ſine Cruce, & ſine candelabris.

(b) quaſi in cornu Evangelii.

(c) ponatur quaſi in cornu Epiſtolæ: Diaconus enim & Subdiaconus ibidem ſumere debent ſupra-nominata ſua paramenta, factâ ignis & quinque granorum benedictione.

(d) niſi malint alii, & quidem etiam rectè, ut Clerici & Acolythi thuribulum, naviculam, pelviculam, & vas aquæ benedictæ ſecum deferant, dum ad locum Benedictionis pergunt.

(e) in medio ſupra menſam.

ceſſionalis (a) collocatur, & Arundo (b) cum lucerna candelam includente ac cereolum (c) ad accendendas can-

(a) ſupponitur quippe, exiguam eſſe diſtantiam à Sacriſtia ad locum pro benedictione novi ignis deſtinatum: aliàs, ùt infrà notabitur, Crux proceſſionalis non erit ſtatim ab initio illuc ponenda, ſed à Subdiacono in acceſſu ad dictum locum ferenda.

(b) Arundo autem ante acceſſum Celebrantis in dicto loco eſſe jam debet.

(c) Addantur inſuper ligna ſulphurata cum inſtrumentis neceſſariis ad excutiendum novum ignem è ſilice. Dein, dum Celebrans & Miniſtri in Sacriſtia ſe parant, vel (ſi ita videbitur) dum recitatur Sexta, à Sacriſta vel ab alio in loco ſuprà deſcripto excutitur è ſilice ignis extrà Eccleſiam, & accenduntur carbones uſque ad illud tempus extincti, ita ut adveniente Celebrante jam adſit novus ignis, qui ab eo benedicatur.

candelas Trianguli (a).

4. Poſt

(a) ſi autem Eccleſia, in qua celebrantur ſacræ cæremoniæ, eſſet Parochialis, & per conſequens Fontem baptiſmalem haberet; locus ejus ex mente Turrini non ſumptuosè, ſed mediocritèr & colore violaceo, correſpondente colori luctuoſo Celebrantis, parari deberet. Quamquam mos eorum reprobari non poteſt, qui locum illum ex mente Bauldry floribûs, velîs, cortinîs, tapetibûs, & aliîs hujusmodi ornamentîs albîs veſtiunt in memoriam Sacroſancti Sacramenti Baptiſmi. Extra cancellos Baptiſterii præparetur credentia ſeu menſa parvâ mappâ mundâ cooperta, ſupra quam ponatur una aut altera mappula plicata ad extergendas manus Celebrantis, cùm tetigerit aquam. Item vas amplum & vacuum, implendum aquâ, poſtquam benedicta fuerit, ante oleorum infuſionem reſervanda pro ſequenti die, & pro domibus fidelium. Aliud quoque vas conſuetum cum aſperſorio & ſtola violacea pro Sacerdote ad populi aſperſionem faciendam. Rurſus ampullæ Oleorum Chriſmatis & cathecumenorum ad ea infundenda in aquam benedictam dicti Fontis baptiſmalis. Item bacile cum mica panis, & bucale cum aqua pro lavandis manibus Celebrantis: nec non manutergium pro iis dein extergendis, & bombaceum ad manus inunctas tergendas. Per octo dies antè in ipſa Eccleſia, niſi periculum immineat, nullus infans baptizetur. Si igitur ſunt aliqui nunc baptizandi, parentur veſtes albæ, candelæ, Olea ſacra, & alia à Rituali Romano præſcripta: item paramenta alta, nempe pluviale & ſtola, ut Celebrans iis paratus, actu cathecumenos baptizet,

4. Poſt datum horâ competentî ſignum, dicuntur Horæ ſine luminaribus. Quando recitatur Nona, Thuriferarius & Acolythus ſuper Altare deponunt pulvinum violaceum cum Miſſali aperto pro Celebrante, aliud quoque Miſſale (a) ſupra credentiam pro Diacono, & in hoc ſecundo Miſſali notatum in ſchedula ſit nomen Pontificis (b), Prælati, Imperatoris (c), ac Principis (d) pro varietate Diœceſum ac Ditionum, in quibus hæ ſacræ functio-

(a) non violaceô, ſed albô tegumento coopertum.

(b) viventis, qui cum capitis inclinatione nominatur. Sede autem Romanâ vacante, taceantur verba: *unà cum Beatiſſimo &c.* Item exprimitur nomen Prælati, id eſt, proprii Epiſcopi, & pronuntiatur, eô etiam præſente, ſine capitis inclinatione: Sede Epiſcopali vacante omittitur.

(c) mortuo Imperatore non omittitur illa Oratio, ſed mutatur, hoc modo: *Reſpice etiam ad Romanum Imperium, cujus tu Deus Fidelium vota prænoſcens &c.*

(d) ſi adſit vel Privilegium Apoſtolicum, vel conſuetudo legitima: aliàs non.

ctiones peraguntur. Interea (a) in Sacriſtia Miniſtri Sacri paramentîs violaceîs induuntur, videlicet, Celebrans ſtolâ & pluviali, Diaconus ſuâ ſtolâ & planetâ plicatâ, Subdiaconus ſolâ planetâ plicatâ, ſed omnes tres ſine manipulis (b). Poſteà ita parati, præcedentibûs Acolythîs, & Clero ſequente per ordinem, procedunt ad locum deputatum pro benedicendo novo igne: ultimus Celebrans tecto capite cum Diacono & Subdiacono (c) incedit

(a) poſt Nonam recitatam, & non ante, ad functiones hujus diei proprias eſt procedendum ex *Decret. Urb. II.*

(b) poſt Nonam recitatam Dignitates & Canonici non ampliùs ante Crucem Altaris genuflectunt, ſed profundam tantùm faciunt inclinationem; quod Meratus expreſsè notat ex *Memoriali Rit.* Tit. 8. §. 6. n. 3. in fine pag. 288.

(c) ſuppoſitô, quòd Crucem non ferat. Ambo Miniſtri nudo capite incedant. Si verò Subdiaconus Crucem ferat (quod fit & præſcribitur præſertim, ubi locus deputatus ad benedictionem prædictam remotior eſt à Sacriſtia) tunc Diaconus ſolus ultimô locô cum Celebrante à ſiniſtris ejusdem incedit, non tamen fimbrias pluvialis elevat.

dit (a).

5. Cùm ad locum deſignatum perventum fuerit; Subdiaconus, ſumptâ (b) Cruce, ſe ſiſtit è conſpectu Celebrantis (c), & imaginem Crucifixi erga eundem vertit, Clero interim ita circumcirca ſe diſponente, ut juniores ſint viciniores Cruci, ſeniores Celebranti. His ita ordinatîs, Celebrans (d) deponit biretum, illúdque dat Diacono,

(a) In illis Eccleſiis, ubi moris non eſt, ut thuribulum, navicula, & reliqua vaſa ſuprà-recenſita in loco pro benedictione novi ignis deſtinato reponantur, ſed à Miniſtris in acceſſu ad dictum locum deferantur: quisque ſuum vas reſpectivè ſumit, ac ordine, à Magiſtro Cæremoniarum juxta numerum Clericorum deſignando, illuc procedit.

(b) Subdiaconus ſumit Crucem tunc, niſi eam in Sacriſtia jam ſumpſerit; & in acceſſu ad illum locum portaverit, ut paulò antè notatum fuit.

(c) à dextris ejusdem.

(d) à dextris vaſis ſtans, ut ſuprà dictum eſt.

cono, ſtanti ab ejusdem dextris (a): deinde ſtatim ex Miſſali, quod aliquis Acolythus ante eum tenet apertum, manibûs ſemper junctîs, legit (b) ea, quæ ibi pro benedictione ignis appoſita ſunt (c). Dum format ſignum Crucis ſupra ignem, Diaconus elevet fimbriam anteriorem pluvialis. Dictîs tribûs primîs Orationibûs, accedit Acolythus ille, qui tenet pelviculam cum quinque granis Incenſi (d), & tunc

(a) paulò tamen poſt eum, & ibidem tres Acolythi paritèr ſtant, videlicet ad dexteram Diaconi ille, qui pelviculam cum granis Incenſi; ad dexteram hujus alter, qui thuribulum: ad dexteram Thuriferarii ille, qui Vas Aquæ benedictæ portat. A ſiniſtris Celebrantis ſtat Cæremoniarius, ad cujus ſiniſtram Clericus ſerviens de Libro, & ad hujus ſiniſtram Navicularius, ſi adſit.

(b) ſine cantu in tono Orationis Miſſæ ferialis, & in fine Orationum à Choro reſpondetur: *Amen*, ſine cantu.

(c) à conſecratione Luminis incipitur Paſchalis Solemnitas, quia æternæ lucis contulit claritatem, Gavant. ex Rabano l. 2. c. 38. & ex Concil. Toler. IV.

(d) elevatam ante pectus.

Celebrans (a) pergit benedicere etiam prædicta quinque grana. Mox Thuriferarius, immiſsîs carbonibûs (b) ex igne novo in thuribulum, accedit (c) ad Celebrantem, qui, miniſtrante naviculam Diacono cum oſculis, ter in eodem thuribulo Incenſum ponit, illud more ſolito benedicens (d). Tum (e) Diaconus Aſperſorium cum oſculis porrigit Celebranti, quo ipſe acceptô, ter aſpergit (f) grana Incenſi, & ter paritèr ignem, dicens interim ſubmiſsâ voce antiphonam: *aſperges me &c.*

eô-

(a) non præmiſsô *Dominus vobiſcum*, neque *Oremus.*

(b) Thuriferarius forcipe immittit carbones benedictos in thuribulum, dum benedicuntur grana.

(c) cum Naviculario, ſi adſit: ſi non adſit, ipſe etiam naviculam defert.

(d) dicítque eodem tempore: *ab illo benedicaris.*

(e) recedente Thuriferario, accedit Acolythus à dextris Diaconi cum vaſe Aquæ benedictæ & Aſperſorio.

(f) in medio, à dextris rerum benedictarum, & à ſiniſtris earundem.

côdémque, quo aſperſit, modô ter prædicta grana & ignem incenſat (a).

6. Completâ benedictione, Diaconus (b), aſſiſtente aliquo Acolytho, deponit (c) paramenta violacea, & induit (d) ſe ſtolâ, Dalmaticâ, ac manipulô albi coloris: Subdiaconus quo-

(a) factâ aſperſione, recedit Acolythus cum vaſe Aquæ benedictæ, & iterùm Thuriferarius accedit ad porrigendum ſine oſculis thuribulum Diacono: qui illud cum oſculis Celebranti offert. Dum Celebrans incenſat, nihil dicit. Interim omnia luminaria Eccleſiæ per Sacriſtam extinguuntur, ut de igne benedicto poſtmodùm accendantur. Excipitur tamen luminare ante SS. Sacramentum ardens, quod manet accenſum.

(b) qui juxta Rubricam Miſſalis debet eſſe ille idem, qui in Miſſa & Officio inſervit, & non alius ad hanc ſolam functionem, & ad cantandum tantummodò Præconium.

(c) ſupra menſam, quæ ad ſiniſtram Celebrantis eſſe, & ad quam tranſire debet.

(d) nihil dicens.

que ſumit manipulum (a), ſed violaceum. Similitèr Clericus ad lucernam deferendam deputatus candelam in ea exiſtentem aliâ candelulâ ſeu cereolô accendet, ſumendo lumen, mediantibûs lignis ſulphuratis, ex igne novo. Diaconus indutus paramentis albis (b), redit ad Celebrantem, prout cum Cæremoniali Epiſcoporum communitèr docent Sacrarum Cæremoniarum explanatores. Dein, miniſtran-

(a) Non deſunt tamen, qui putant, Subdiaconum non hoc tempore & loco manipulum aſſumere debere, ſed duntaxat poſt Præconium, & quidem tunc, quando depoſitô pluviali, Celebrans ipſe manipulum unà cum planeta induit. At, quia utraque opinio auctoritatem *Cæremonialis Epiſcoporum* pro ſe habere contendit, & dictum *Cæremoniale* circa hoc in nulla recognitione nec ſub Innocentio X. nec ſub Benedicto XIII. unquam fuit, aut correctum, aut erroris notatum: ideo exiſtimant viri eruditi, utrumque fieri probabitèr poſſe: quamquam Nicolao de Bralion conformius regulis Rituum videatur fore, ſi Subdiaconus manipulum non accipiat, niſi cum Celebrante poſt Præconium. Nihilominùs apud Clericos Regulares uſus paſſim obtinuit, ut Subdiaconus hoc loco & hoc tempore manipulum aſſumat.

(b) ùt ſuprà.

niſtrante eodem Diacono naviculam (a), Celebrans imponit ter Incenſum in thuribulum (b), illud de more benedicens. Tandem, redditâ à Diacono naviculâ Thuriferario, nec non Arundine (c) eidem Diacono per Cæremoniarium porrectâ, Proceſſio hujus diei ordinatur modô ſequenti: præcedit Acolythus cum quinque granis Incenſi (d), à ſiniſtris ejus erit Thuriferarius (e), qui eatenùs in hac proceſſione locum à ſiniſtris tenet, quatenùs quinque grana ab Acolytho delata ſpeciale quoddam Myſterium repræſentant, prout ex Cæremoniali Epiſco-

(a) cum ſolitis oſculis.

(b) pro Proceſſione & Præconio. Quocirca tantum thuris eſt imponendum, quantum ſufficere poterit pro incenſando Libro, antequam Diaconus cantet Præconium: non enim aliud Incenſum poni debet pro prædicta Libri incenſatione.

(c) quam Diaconus dexterâ accipit.

(d) ambabûs manibûs pelviculam tenens.

(e) cum thuribulo fumigante in dextra, & naviculâ in ſiniſtra, ſi alius non adſit, qui Navicularium agat.

piſcoporum clarè deſumitur (a). Poſt prædictos ſequitur Subdiaconus (b), Crucem deferens ſine Ceroferariis (c): dein alii de Clero bini & bini per ordinem: poſt Clerum Diaconus cum Arundine (d), habens ad ſiniſtram Clericum cum candelula & lucerna accenſa: ultimus omnium procedit Celebrans tecto capite ac manibûs junctîs, poſt quem aliquis Clericus vel Miniſter defert pulvinar ei ſubſternendum, quoties genuflectet *ad Lumen*

Chri-

(a) & rectius convenientiúsque exiſtimatur cum Gavanto & Merato contra Caſtaldum, Gerlacum Vinitorem aliósque, præfatum Acolythum cum quinque granis à ſiniſtris Thuriferarii locantes.

(b) quoad ejus manipulum recole, quæ dicta ſunt ſuprà.

(c) poſt Subdiaconum ibunt bini duo Acolythi, deinde Navicularius, ſi adſit, & Clericus de Libro: poſtea Clerus &c.

(d) quam portat ambabûs manibûs.

Chriſti (a).

7. Cùm Celebrans, Diaconus, & reliqui (b) ingreſſi fuerint Eccleſiam, omnes ſe ſiſtunt (c), & Diaconus Arundinem inclinat, ita ut Clericus unam ex tribus candelis in ſummitate Arundinis poſitîs accendere poſſit: quâ dein accensâ, elevat ſtatim idem Diaconus Arundinem: poſtea tam ipſe, quàm alii de Clero, etiam Celebrans (d), genuflectunt utroque genu, præter Subdiaconum Crucem ferentem. Diaconus itaque ſic genuflexus (e), tonô mediocrî (f) cantat *Lumen Chriſti.* quo auditô Celebrans, & omnes de

(a) Interim, dum fit Proceſſio, aſportantur per reliquos Miniſtros reliqua de menſa prædictâ, nimirum ignis, vas aquæ benedictæ, forceps, & alia, quæ ibidem ſunt. Paramenta autem violacea reponuntur in tali loco, ut Diaconus commodè ea recipere poſſit, cantatô Præconiô.

(b) dictô ordine.

(c) & Celebrans caput detegit.

(d) adjuvante Cæremoniario, ſi opus eſt.

(e) elevat aliquantulùm Arundinem.

(f) clarâ tamen & ſonorâ voce.

Clero ſurgunt, atque in eodem tono reſpondent: *Deo gratias.* Similitèr fit, dùm cantatur *Lumen Chriſti* ſecundâ & tertiâ vice, in medio ſcilicet Eccleſiæ, & ante Altare Majus (a), niſi quòd tam Diaconus intonando, quàm Clerus reſpondendo, ſecundâ vice vocem (b) altiùs elevet, quàm primâ; tertiâ, quàm ſecundâ.

8. Poſtquam Clerus in Presbyterium venerit, Subdiaconus Cruciferarius ad latus Evangelii tranſit, ac ſe inter Acolythum cum quinque granis Incenſi à dextris, & Thuriferarium à ſiniſtris conſtituit medium, ne Clerum impediat, dum ſe hinc inde circa Altare dividit. Reſponsô dein tertiâ vice *Deo gratias*, Clerus in Chorum re-

cedit

(a) id eſt, ante ejusdem gradus.
(b) & arundinem.

cedit (a). Tunc Celebrans (b) aſcendit ad Altare, & poſtquam illud in medio eſt oſculatus, ſe retrahit aliquantulùm in cornu Epiſtolæ (c). Interim Diaconus (d) dat Arundinem Acolytho, qui lucernam geſtabat (e), & acceptô de manibus Cæremoniarii (f) Miſſali (g), aſcendit ad Altare (h), ubi petit abſolutè benedictionem, ùt ad Evangelium, dicens : *jube Domne benedicere.* Celebrans verò eum benedicens,

(a) ſupponitur enim, quòd Chorus ſit retrò poſt Altare Majus. Si verò Chorus ſit ante Altare Majus, quilibet accedit ad ſuum locum. quod notandum eſt, quoties in dicta ſuppoſitione ſit ejusmodi ordinatio.

(b) depoſitô priùs biretô in manibus Cæremoniarii, & quidem primi, (ſi ſint duo) qui illius fimbrias elevabit de more. Dein dictus Cæremoniarius deponit biretum ſupra ſedem Celebrantis, ad quem ſtatim redit, & ſtat poſt eum, toto Præconii tempore.

(c) ibíque ſtabit converſus ad Altare, donec benedicat Diaconum.

(d) ſtans adhuc in plano.

(e) eámque priùs vel tradidit Sacriſtæ, vel depoſuit ſupra credentiam.

(f) ſecundi, ſi adſint duo.

(g) velô albô tectô.

(h) factâ genuflexione in medio.

cens, locò *Evangelium ſuum* dicit *ſuum Paſchale Præconium* (a).

9. Acceptâ benedictione, Diaconus deſcendit in planum, Miſſale (b) ante pectus geſtans, & factâ unà cum Clericis (c) genuflexione (d), accedit ad Pulpitum ordine ſequenti: præcedit

(a) attamen Diaconus ejusdem Celebrantis manum poſt benedictionē minimè oſculatur juxta præſcriptionem Cæremonialis Epiſcoporùm lib. 2. c. 27. §. 9. & quamquam Rubrica Miſſalis hic dicat, quòd Diaconus petere debeat benedictionem, *ut ad Evangelium*: nihilominùs, quia dicta Rubrica ex una parte nullam mentionem facit de oſculo manûs; ex altera verò Cæremoniale Epiſcoporum cit. loc. expreſsè ejusmodi manûs deoſculationem prohibet: inde videtur, præfatam etiam Rubricam in hac functione non plus exigere, quàm ut Celebrans benedicat Diaconum, non verò, ut hic oſculetur manum illius. At, quoniam omnes ferè Rubricarum Interpretes prædictam Cæremonialis Epiſcopalis diſpoſitionem forſan non advertunt; idcirco fit, quòd in memorata functione manûs deoſculationem plerumque præſcribant. Hanc opinionem P. Meratus more ſuo doctiſſimè proſequitur, eámque praxi Sacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ conſonam eſſe aſſerit.

(b) clauſum.

(c) exceptis Subdiaconô Crucem, & Miniſtro Arundinem ferente.

(d) unico genu ibi in medio.

dit Thuriferarius habens à dextris Acolythum deferentem pelviculam cum quinque granis Incenſi (a). Poſtea ſequitur Subdiaconus cum Cruce, habens à ſiniſtris Acolythum cum Arundine: dein alius Clericus, ſive Miniſter, qui nunc primùm cum Cereo comparere debet; non enim dictus Cereus in Proceſſione eſt præferendus, cùm neque Caſtaldus, neque alius Auctor (b) quidquam tradat de Cereo in Proceſſione geſtando (c). Ultimus tandem om-

(a) & ante ſe Cæremoniarium.

(b) præter libellum ſacrarum Cæremoniarum Hebdomadæ Majoris Neapoli à Clericis Regularibus anno 1704. italicô ſermone editum, qui ad peculiarem Eccleſiæ D. Pauli, pro qua conſcriptus fuit, conſuetudinem in hoc unicè reſpexiſſe videtur.

(c) poſſet nihilominùs Cereus etiam præcedentèr ſupra ſuum Candelabrum à latere Evangelii præparatum collocari: tunc autem Clericus ſeu Miniſter ſupradictus incedere deberet vacuus ad Cereum ſuo tempore à Candelabro amovendum. Poſſet item cum eodem Clerico ad ejuſdem ſiniſtram incedere alius Acolythus ſive Clericus cum candelula virgæ ſuperinflexa ad accendendas ſuo tempore lampades. Aliàs (ùt infra dicetur) eas paritèr accendere poteſt Sacriſta, præcipuè, ſi exiguus foret Clericorum numerus.

omnium incedit Diaconus, qui, mox ût conſcendit Pulpitum, aperit ſuper legile Librum; ac ſe eò locat, quò ipſe cum Miniſtris in linea rectâ ſtantibus figuram (a) formet ſequentem: T. S. D. A. C. G. quæ litteræ ita ſunt intelligendæ: nempe; D. Diaconus, S. Subdiaconus cum Cruce (b), T. Thuriferarius, A. Acolythus, qui Arundinem: C. ille, qui Cereum: G. Acolythus, qui pelviculam cum quinque granis geſtat. Porrò prædicti omnes illuc faciem converſam tenere debent, quò

(a) vel, ût alii ordinant: Diaconus ſtat in medio ſupra Ambonem: Subdiaconus ad dextram Diaconi extra Suggeſtum: à dextris Subdiaconi Thuriferarius. A ſiniſtris Diaconi Acolythus cum Arundine, & alius Acolythus cum quinque granis Incenſi à ſiniſtris dicti Acolythi de Arundine. Cæremoniarius ſecundus poſt Diaconum; ût ad Evangelium. Sive hanc, ſive ſupra-dictam figuram eligas: utrumque benè.

(b) quæ Crucifixi imaginem converſam habeat ad Celebrantem:

quò Diaconus (a), qui cantat *Exultet.*

10. Miniſtrîs omnibûs diſpoſitîs, ùt ſuprà; Thuriferarius accedit ad Pulpitum, & offert (b) thuribulum clauſum Diacono, qui, Librô ter incenſatô, reddit thuribulum Thuriferario ſtatim ad ſuum locum revertenti. Poſtea Diaconus, nec ſe, nec Librum ſignans, ſonorâ voce incipit cantare Præconium (c). Cùm ad illa verba Præconii pervenerit: *fugat odia &c.* ille, qui Cereum, & alter

(a) Diaconus, præſertim ſi Præconium cantet in Pulpito ſeu Suggeſtu, cantare illud debet, non facie versâ ad Aquilonem, ſed ad Meridiem, nimirum ad Celebrantem. Idem quoque obſervandum eſſe, Meratus cenſet, ſi Præconium cantetur ſuper Legile: quàmvis alii exiſtiment, tunc latera dextera (ùt perperàm interpretantur clariſſimum Gavantum) vertenda eſſe ad Altare, facies ad Aquilonem, renes ad Meridiem, & ità etiam Legile ſtatuendum.

(b) ſine oſculis.

(c) junctis manibûs, abſolutè dicens: *Exultet &c.* Omnes interim in Choro ſtabunt versùs Altare detectis capitibûs, & Celebrans manibûs junctîs converſus ad Diaconum à latere Epiſtolæ, ùt ad Evangelium.

ter, qui pelviculam cum quinque granis geſtat, ad Pulpitum accedit (a). Mox verò Diaconus ad verba: (b) *& curvat Imperia &c.* prædicta quinque grana infigit Cereo in modum Crucis (c). Quo factô, ambo, nempe, tam ille, qui Cereum, quàm alter, qui pelviculam tenet, ad priſtinum locum ſe recipiunt, depoſitâ priùs ab Acolytho

(a) vel juxta aliorum morem pariter à Doctoribus approbatum, Diaconus, comitatus ab Acolytho ferente grana Incenſi, accedit ad Cereum: aut etiam amoveri interim poteſt per Acolythum Cereus è ſuo Candelabro, ſi ſupra illud præcedentèr fuerit jam poſitus, ùt notatum eſt ſuprà. Infigit deinde quinque grana Incenſi; & ſtatim Acolythus pelviculam vacuam deponit ſupra credentiam, ſive in manibus Cæremoniarii. Infixis poſtea granis, Diaconus redit ad Pulpitum ſeu Legile, nullam faciens inclinationem, & ſurgentibûs omnibûs de Choro, proſequitur Præconii cantum.

(b) intermittens cantum, ubi interim Chorus ſedere poteſt, ſi vult, non verò Celebrans & Clerici Officii.

(c) ita ut primum granum figat in ſuperiori parte, alterum in media, tertium in inferiori, quartum in dextra Cerei, quintum in ſiniſtra.

tho pelviculâ cum granis in manibus Cæremoniarii (a). Rurſus, quando incipiuntur verba: *ſed jam &c.* Miniſter (b) cum Cereo accedit de novo,

 eum-

(a) vel ſupra credentiam, ùt paulò antè notatum fuit. Plura hìc annecti poſſent de ſenſu, quem faciunt verba illà Præconii: *incenſi hujus Sacrificium Veſpertinum.* Claudius de Vert tom. 2. *ſuarum Explicationum* c. 1. n. 11. & ſeqq. contendit, per illud verbum *incenſi* non intelligi *thus*, ſed ipſummet Cereum Paſchalem *accenſum*, & ſuppleri debere per hæc alia verba: *Cerei hujus.* Quare vult, Ritum benedicendi & infigendi grana in Cereo Paſchali fuiſſe recentèr introductum. Contrarium propugnat Jo. Joſephus Languet Senenſis Antiſtes. Quamquam autem Doctiſſimus Meratus utrique ſuum tribuat honorem ac laudem; nihilominùs videtur magìs propendere in ſententiam D. de Vert: præſertim cùm ex antiquis ſacrarum Cæremoniarum Tractatoribus non inveniat, qui ante Seculum XII. de hoc Ritu mentionem faciat. At, quia brevitati eſt ſtudendum, hæc duntaxàt levitèr tetigiſſe ſufficiat.

(b) ubi autem uſus obtinuit, ut Diaconus accedat ad Cereum poſitum ſupra candelabrum: accedet tunc ipſemet, & aſcendet per ſcabellum graduatum ad illum accendendum; vel, ſi Cereus commodè ſupra candelabrum accendi nequeat, Acolythus *de Cereo* illum amovebit de candelabro, ut inflammetur à Diacono. Deindè Cereus accenſus iterùm reponitur ſupra candelabrum ab Acolytho, ita ut Crux, quæ ſuper Cereum eſt formata ſeu depicta, Celebrantem reſpiciat.

eúmque tenet, ut à Diacono, Acolytho Arundinem inclinante, commodè accendi poſſit cum una ex tribus candelis, ibi ſupra eandem poſitîs. Accenditur autem Cereus (a), poſtquam Diaconus dixit illa verba: *rutilans ignis accendit*: & ſtatim eô accensô, Miniſter iterùm ad locum ſuum revertitur. Poſt verba: *apis mater eduxit*: Diaconus ceſſat aliquantulùm à cantu, donec Sacriſta accenderit lampades (b). Similitèr caput versùs Librum inclinat, quan-

(a) & interim cantus intermittitur, & omnes de Choro ſedent, ſi velint, ùt ſuprà.

(b) aliquis Acolythus, de quo ſuprà, cum candelula virgæ ſuperinflexâ, ac à Cereo, vel ab una ex tribus candelis Arundinis accensâ proximas lampades accendit: ſed, quia lampas, quæ eſt in Sacello, ubi SS. Sacramentum aſſervatur, ſemper ardere debet: ideo videtur nunc extinguenda, & ſtatim novô igne benedictô accendenda. Sacriſta verò alias remotas lampades per Eccleſiam accendit. Interim omnes de Choro ſedent, ſi velint. dein accensîs lampadibûs proximis ſurgunt, ſi ſederint, & Diaconus proſequitur Præconium.

quando nomen Pontificis exprimit (a). Denique finitô Præconiô, claudit Librum, quem poſtea Acolythus ſupra credentiam reponit (b).

11. Diaconus, ſtatim ac de Pulpito deſcendit, comitatus à Thuriferario & Acolytho, vadit (c) unà cum

(a) ùt notatum eſt ſuprà.

(b) circa benedictionem Cerei animadvertendum eſt, quòd Cereus anni præteriti quoad majorem ſui partem conſumptus, ac quoad eandem majorem partem ſequenti anno iterùm refectus, licitè annô ſequentî iterùm benedici poſſit, ſiquidem per additionem majoris partis de novo perditur prior benedictio, & ſic non benedictus, atque abſolutè Cereus novus juxta Rubricas Miſſalis benedicitur. Econtrà verò dicendum eſt, ſi Cereus anni præteriti quoad minorem partem fuiſſet duntaxat refectus; tunc profectò annô ſequentî iterùm benedici, ſaltem ſine peccato veniali, non poſſet.

(c) factis debitis reverentiis: non tamen poſt Præconium Celebrans Librum oſculatur, neque incenſatur. Diſceſſus in Sacriſtiam fit ordine ſequentî: præcedit Cæremoniarius, ſequitur Thuriferarius cum thuribulo, & Acolythus cum navicula, poſt quem Subdiaconus cum Cruce, & alii Acolythi veniunt: poſtremò Diaconus. Subdiaconus cum Cruce nullam genuflexionem aut inclinationem ulli facit.

Subdiacono in Sacriſtiam, ubi depoſitîs ipſe paramentîs albîs, reſumit manipulum, ſtolam (a), & planetam plicatam violacei coloris. Mox unà cum eodem Subdiacono, qui Crucem interim deponere debuit (b), redit ad Celebrantem (c), præcedente iterùm Thuriferario & Acolytho: nec tàmen vacui incedent hi duo (d), ſed locò thuriboli & naviculæ, quæ paritèr deponere debuerunt, deferent Planetam & manipulum (e), quibus per Miniſtros induendus eſt Celebrans (f), dimiſsô Pluviali, quod Thuriferarius ſtatim

(a) Diaconalem.

(b) & aſſumere manipulum, caſu quo juxta doctrinam ſuprà *in Notis* traditam, & morem apud quamplures uſitatum ſine manipulo hucuſque fuiſſet.

(c) in cornu Epiſtolæ.

(d) aut, ſi juxta aliquorum praxim vacui incederent, deberet eo in caſu aliquis Acolythus tempeſtivè planetam & manipulum pro Celebrante in Presbyterium deferre, atque unà cum Cæremoniario Celebrantem juvare ad ſe iiſdem induendum.

(e) violacei coloris.

(f) interea nihil dicens.

ſtatim in Sacriſtiam reportat (a). Poſt Præconium etiam Acolythus, qui tenebat Arundinem, figit eam in pede ad id à latere Evangelii præparato. Advertendum autem circa prædictam Arundinem eſt, quòd nec quidem ad Completorium hujus diei accendi, ſed ſtatim poſt completam Miſſam ſolemnem (b) amoveri debeat. Alter verò Miniſter de Cereo illum ſupra ſimulacrum Angeli, aut Candelabrum præparatum conſtituet (c).

12. Prædicta dum peraguntur, duo Ceroferarii (d), unus Miſſale (e), alter Legile nudum geſtans, à latere Evangelii unà procedunt in Presbyterium

(a) vel in alio loco congruo deponit.

(b) extingui, & &c.

(c) niſi juxta morem ſuprà *in Notis* inſinuatum, antecedentèr jam conſtitutus ſit ſupra ſuum Candelabrum.

(d) ùt apud Clericos Regulares moris eſt; vel etiam duo alii Acolythi, aut Clerici.

(e) coopertum tegumentô violaceô.

rium, illúdque, factâ genuflexione (a), in medio ejuſdem Presbyterii collocant: dein Librô ſupra Legile apertô in loco *Prophetiarum*, & factâ iterùm genuflexione, in Chorum redeunt à latere Epiſtolæ, tenentes manus ante pectus junctas (b). Ceroferariis in Chorum regreſsis, egreditur à latere Evangelii ille, qui cantare debet primam Prophetiam, & ad Legile perveniens

(a) ſive etiam, ut congruentius aliis videtur; prætermiſsâ illâ genuflexione.

(b) ſi Miſſale pro Celebrante nondum ſit ſuper Altare, prout tamen in eo eſſe jam deberet juxta ordinationem ſuperiùs factam; illud nunc in cornu Epiſtolæ collocatur. Aſportatur inſuper cum ſuo Miſſali Legile, ſi in eo, & non potiùs ſupra pulpitum cantatum ſit Præconium. Interim, dum iſthæc fiunt, omnes in Choro ſedent.

niens, facit genuflexionem Cruci (a). Tum manibûs extensîs ſupra Miſſale poſitîs, voce intelligibili (b) cantat expeditè primam Prophetiam: quod obſervatur ab omnibus, quotquot accedunt ad cantandas ſucceſſivè reliquas (c). Si autem poſt Prophetiam non ſequatur Tractus, tunc genuflectit (d) Cantor ante Legile, nec diſcedit, donec à Subdiacono dictum fuerit *Levate* (e). Ultima demum Prophetia,

(a) prophetiæ ſeu Lectiones, modò cantandæ, ſunt numerô duodecim, & olim ad Cathecumenorum inſtructionem recitabantur. Cantantur autem ad ſupradictum Legile ab Acolythis, vel Clericis, vel Cantoribus, ſuperpelliceô indutîs, quorum quilibet illuc duci poteſt à Cæremoniario, vel ab alio aſſiſtente à ſiniſtris. Ambo, ubi ad locum Lectionis pervenerint, Cruci genuflexionem unico genu faciunt: tum ſalutant primum à parte, ubi eſt dignior de Clero, dein ab altera parte. quo factô, ſedent Clerici, qui ſoli ſurgere debent, quando Cantores ad cantandas Prophetias procedunt.

(b) in tono feriali.

(c) in fine cujuslibet Prophetiæ vox parùm inflectitur. Omnes verò in Choro ſedent.

(d) utroque genu versùs Librum.

(e) in diſceſſu Cantor & Clerici obſervabunt ea, quæ ordinata ſunt pro acceſſu.

phetia, juxta mentem Caſtaldi videtur convenientius fore, ſi cantetur à quodam Sacerdote (a), qui, prout de more, accedet, comitatus à Clerico (b).

13. Celebrans planetâ indutus, ſtante Diacono à dextris ejus, & Subdiacono à dextris Diaconi, ùt ad Introitum Miſſæ (c) (non tamen manibûs junctîs) in cornu Epiſtolæ legit Prophe-

(a) ſine tamen ſtola.

(b) in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis primæ quatuor Prophetiæ cantantur à Cantoribus, vel Clericis, vel Acolythis, ùt ſuprà. Aliæ quatuor à Beneficiatis ſeu Manſionariis: ultimæ quatuor à Canonicis, prout commoditas vel numerus Clericorum ſuadebit. Cæremon. Epiſcop. lib. 2. c. 28. §. 5. Item accedente ad Legile Beneficiatô ſeu Manſionariô, qui factâ ſalutatione ac reſalutatione à Cæremoniario illuc ducitur, ſurgunt omnes Beneficiati cum Manſionariis eorum æqualibus & reliquis inferioribus: poſtea, factis ſolitis reverentiis à Beneficiato Lectore & Cæremoniario, omnes, qui aſſurrexerunt, ſedent. Accedentibûs autem ad cantandas Prophetias Canonicis, omnes de Choro ſurgunt, ſed ſtatim, ùt de Beneficiatis dictum eſt, iterùm ſedent.

(c) ſimilitèr duo Acolythi poſt Celebrantem in plano ſtent: Cæremoniarius propè angulum poſteriorem Altaris versùs Celebrantem.

phetias ſubmiſsâ voce. At, ſi quandoque idem Celebrans poſt terminatam cujusdam ex prædictis Prophetiis (a) Lectionem ſedere vellet, per viam breviorem deſcendere ex Altari, & ad finem ejusdem per eandem reverti deberet ad Altare (b). Unde tria ſcabella (c) nuda in hunc finem à latere Epiſtolæ ante Officium ſunt præparanda. Ad Orationes (d), quas Celebrans poſt Prophetias dicit, Miniſtri ſacri ſtant unus ante alium retrò poſt Celebrantem, & quoties à Miſſali præſcribitur, dicunt, ſicut heri: *Flectamus genua*, & *Levate*. Dum Celebrans poſt ultimam Prophetiam Orationem dicit, duo Ceroferarii (e) Legile unà cum Miſſali è Presbyterio in Sacriſtiam

(a) præſertim longioribus.

(b) nempe, per gradus anteriores deſcendendo & aſcendendo: neque ulla à Celebrante fit reverentia, neque à Miniſtris genuflexio Cruci, cùm ad medium Altaris non aſcendant. Sedent autem tam Celebrans, quàm Miniſtri Sacri tecto capite.

(c) de quibus etiam ſuprà.

(d) orationes aſſignatas poſt Prophetias cantat Celebrans manibûs extenſis in tono Orationis Miſſæ, ad quas Chorus ſtabit nudo capite versùs Altare.

(e) ſive Acolythi.

aſportant. (a). Interim tres alii Cle-
rici-

(b) ubi habetur Fons baptiſmalis; expletis orationibûs, fit benedictio Fontis ritu ſequenti. Removetur Legile, accenduntur Cerei ex candelabris ſupra credentiam, & Celebrans ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ ſuper ſuppedaneum deponit planetam cum manipulo, & pluviale violaceum aſſumit, adjuvantibûs miniſtris. Deinde Acolythus aliquis ſuperpelliceô indutus, Crucem Proceſſionalem capit, & Ceroferarii ſua candelabra cum candelis accenſis: alius inſuper Acolythus Cereum Paſchalem. Dum procedunt ad Fontem, primus omnium erit Acolythus cum Cereo, dein Cruciferarius cum Ceroferariis: mox Clerus bini & bini: ultimò ſequitur Celebrans tecto capite, medius inter Diaconum & Subdiaconum nudo capite pluvialis fimbrias elevantes. In via Cantores incipiunt Tractum: *Sicut Cervus &c.* quem Chorus proſequitur. Cùm pervenerint ad Fontem, Clerus ſe locat circumcirca: Cruciferarius cum Ceroferariis propè Fontem, ſeu ante cancellos, ita ut hi faciem Celebrantis reſpiciant, ibíque ſtent cum Acolytho Cerei tanquam immobiles. Celebrans dein, antequam ad benedictionem Fontis procedat, depoſitô biretô cantat ex Libro per Acolythum aliquem ſuſtentato Orationem: *Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice &c.* Poſtea procedit ad ipſum Baptiſterium, & miniſtris pluviale ſemper elevantibûs, benedicit Fontem, dicendo Orationem, Præfationem, & Verſus, eô modô & ordine, quo in Miſſali præſcribuntur. Omnibûs ritè peractis, redeunt ad Altare, &, dum procedunt, Litanias interim cantant juxta Rubricam Miſſalis: vel etiam juxta Cæremoniale Epiſcoporum cum ſilentio redire, & Litanias primùm in Choro incipere poſſunt.

rici tria pulvinaria violacea (a) in Presbyterium deferunt, ac ea ſupra ultimum Altaris gradum diſponunt (b), prout dictum eſt heri.

De Litaniis, Miſſa, & reliquo Officio.

1. ORatione dictâ, Celebrans cum Miniſtris deſcendit in planum

num

(a) aut coriacea.

(b) vel etiam ſupra ſecundum gradum dicta pulvinaria diſponi poſſunt, ita ut unum ſit in ſecundo gradu à parte Evangelii, aliud in ſecundo gradu à parte Epiſtolæ, tertium in medio ſecundi, ſive etiam tertii gradus, ſi Altare plures gradus habeat, vel in medio ſuppedanei, ſi habeantur cum ſuppedaneo tres gradus tantùm.

num (a), ubi depoſitîs planetîs (b), unà cum ipſis ſe proſternit in terra plana, capite ſupra pulvinar poſito. Tum, & non prius, duo Cantores ſupra ſcabellum, in medio Chori præparatum, inchoant

(a) ac ſe retrahit versùs cornu Epiſtolæ, cùm non conveniat, quòd Celebrans & Miniſtri ante medium Altaris paramenta accipiant, & deponant. alii quidem etiam volunt, Celebrantem deponere debere planetam violaceam in cornu Epiſtolæ, juvantibûs Cæremoniariô & Acolythîs, ſeu Miniſtrîs ſacrîs, ſi moris ſit; ſed non in plano. Quare illi ordinant, ut Celebrans cum Miniſtris, depoſitis planetîs, ac retentâ dumtaxat ſtolâ, & manipulîs, accedat ad medium Altaris, ubi, factâ Cruci inclinatione, deſcendet ante infimum gradum, iiſdem Miniſtris comitantibûs, ac genuflectentibûs.

(b) Gavantus quidem ex Cæremoniali Epiſcoporum lib. 2. c. 27. aſſerit, quòd Celebrans & Miniſtri, non paulò ante Litanias: ſed paulò antequam in Litaniis dicatur *peccatores*, deponere debeant planetas plicatas. At videtur, id tantùm intelligendum eſſe pro Eccleſiis Cathedralibus, Epiſcopo Celebrante: nam cap. 28. ejusdem Cæremonialis, Epiſcopo non celebrante; ſed præſente vel abſente, apertè habetur, quòd Diaconus & Subdiaconus in albis eſſe debeant, ſtatim, antequam Litaniæ inchoentur.

choant (a) Litanias (b), utroque Chorô ſimul repetente ea omnia, quæ dicuntur à prædictis Cantoribus. Dum cantantur Litaniæ, Sacerdos, qui ad id muneris ſpecialiter deſignatus fuerit, ſtolâ albâ (c) indutus, ac velo humerali ſuper humeros impoſito, aſſociantibus quatuor Miniſtris cum facibus, SS. Sacramentum reportat ex Oratorio, in quo eſt, ad Tabernaculum Altaris. Advertat autem dictus Sacerdos, quòd Presbyterium ingredi debeat à latere Evangelii, aſcendendo ibidem ad Altare per viam breviorem: non tamen citiùs ingrediendum eſt, quàm dum Cantores cantant ℣. *per ſanctam Reſurrectionem tuam*, qui verius ex antiqua (d) conſuetudine auctoritate Caſtaldi

&

(a) ex Libro ante eos poſito.

(b) vel, ſi ad Fontem (ſecùs ac Cæremoniale Epiſcoporum lib. 2. c. 28. diſponit) eas jam inchoaverint, tunc ibi in medio Chori genuflexi proſequuntur, & cæteri de Choro etiam genuflectunt, ſed non procumbunt.

(c) ſupra ſuperpelliceum.

(d) præſertim apud Clericos Regulares.

& de Craſſis firmatâ à quibusdam geminari ſolet, quamquam alii communitèr contrarium aſſerant. Ad præfatum itaque verſum, admonente Cæremoniario, ſurgunt omnes Clerici, quotquot ſunt proſtrati (a), & ex illis aliuscortinas,aliusAntipendium,& pulvinar violaceum(b) amovet ex Altari, atque in Sacriſtiam aſportat:mox verò in Presbyterium revertuntur. Ubi ventum fuerit ad ℣. *peccatores*, Celebrans cùm Miniſtris ſacris etiam ſurgit, Cæremoniario opem ferente. Poſtmodùm datô per Diaconum Celebranti

(a) vel etiam in quibusdam Eccleſiis ſurgere ſolent, quando in Litaniis dicitur: *propitius eſto*, ità ut ad verſum præfatum *per ſanctam Reſurrectionem &c.* candelæ Altaris jam ſint accenſæ, ita ex *Lib. Sacr. Cæremon. à Clericis Regularibus Neapoli edito*, ac ſupra-citato. *Sacramentarium* tamen *Gregorianum*, & *Ordo Romanus* ad *Agnus Dei* jubent luminaria accendi, quia per Agnum Dei *Chriſtum* lumen Fidei communicatum eſt. *Amalar. lib.* 1. c. 30. apud *Gavantum*.

(b) cum Miſſali ejusdem coloris, & Sacriſta vel alius Miniſter amovet conopæum violaceum è Tabernaculo, ſi quo fuerit tectum ſupra conopæum album juxta ſuperiùs notata.

ti (a) biretô, & factâ ab omnibus genuflexione, recedunt in Chorum ad ſumenda paramenta alba loco violaceorum, quæ deponunt. Quocirca Cantores reliqua ex Litaniis cantare debent lentiùs, ut ea, quæ ad Miſſam ſolemnem ſpectant, tempore congruo præparari interea poſſint (b).

2. Statim ac Miniſtri ſacri in Chorum redièrint, Thuriferarius & Acolythus

(a) & per Cæremoniarium Diacono.

(b) Clerici deferentes neceſſaria pro Miſſa ſolemni juxta P. Caſtaldum ducuntur à Cæremoniario è Sacriſtia in Chorum, vel ad locum viciniorem Altari, ſequenti ordine: primò Thuriferarius cum thuribulo carbonibûs ardentibûs repletô, & naviculâ procedit poſt Cæremoniarium, item deferens Miſſalia cooperta tegumentô pretioſiori cum velo oblongo ſuper humeros Subdiaconi imponendô. Dein alius defert ampullas cum pelvicula, alius calicem, alius ſtolas cum manipulis: duo alii Tunicellam, & Dalmaticam: ultimus Caſulam, & ſingula ſuis locis adaptant. Similitèr ſcamnum in Presbyterio exiſtens pro ſede Celebrantis ac Miniſtrorum, & gradus Altaris, ſi nudi ſint, cooperiuntur pannô, ùt dictum eſt ſuprà *in Notis.*

lythus (a) in Presbyterium deferunt Miſſalia cum pulvinari albo, Tabellam

(a) & reliqui Clerici procedentes in Chorum prænotatô modô, prout citatus P. Caſtaldus valdè congruentèr ordinat. Si autem Celebrans & Miniſtri extrà in Presbyterio ad ſuas ſedes ſe retraherent, ac ibi paramenta ſumerent, quin in Chorum aut Sacriſtiam retrocederent, ùt in quibusdam Eccleſiis fieri aſſolet: tunc Clerici hôc modô in Presbyterium procedere poſſunt ex diſpoſitione *Libelli Sacr. Cærem. Neapolit. ſuprà laudati*: primò procedit Thuriferarius cum thuribulo; & naviculâ: dein Acolythus cum duobus Miſſalibus & velô humeralî; tum alius Acolythus cum ampullis, pelviculâ, & tintinabulo: poſtea alius cum Calice, & alius cum pulvinari albo: iterùm alius cum Tabellis Secretarum, ac tandem ſive ab iisdem Clericis redeuntibus, ſive ab aliis deferantur ſex pelves aut lances grandes ex argento, ſuper quibus mappulæ, ſtolæ, manipuli, flocci ſeu noduli, Tunicella, & Dalmatica, ac ſupra ultimam Planeta pro Celebrante, ſint reſpectivè diſpoſitæ. Attamen notare hîc non gravabor, quod clariſs. Gavantus Comment. in Rubr. Miſs. part. 4. tit. X. ad num. 30 Lit. d. de Sabb. Sanct. monet, & quidem in hæc verba: *diſcedunt* (id eſt Celebrans & Miniſtri) *in Sacriſtiam, ſi vicina eſt, alioquin in locum viciniorem & decentem poſt Altare; omninò ante Altare nemo Epiſcopô inferior eſt veſtiendus, licèt ſit loci Superior, non enim eſt illi communicanda Epiſcopalis prærogativa, niſi Mitrâ utatur.*

lam Secretarum, ampullas cum tintinabulis, & ſingula ſupra credentiam diſtribuunt, ſicut in aliis Miſſis ſolemnibus (a). Dein accenſis (b) omnibus candelis (c), in Chorum redeunt, ut ſe conjungant Sacris Miniſtris, qui interim ope Ceroferariorum ac aliorum Clericorum ſacris veſtibus induti ſunt

N ad

(a) circa modum & ordinem, quo Clerici, prædicta ſive in Chorum, ſive in Presbyterium deferentes, ritè procedere poſſint, dictum eſt paulò antè. Verùm, cùm variæ hac in re ſint praxes ac conſuetudines, ad has quisque attendat, præſertim ſi conſtantes fuerint ac legitimè præſcriptæ.

(b) de tempore, quando convenit, ut accendantur candelæ, vide ſuprà *in Notis f. 178. lit. A.*

(c) detegantur pariter Imagines ſeu Icones per Eccleſiam, ſi fieri poteſt. Si verò hoc tempore prædictæ Imagines per Eccleſiam detegi non poſſint, diſcooperiantur, dum fit benedictio Fontis; vel, ubi non eſt Fons baptiſmalis, dum cantantur ultimæ Prophetiæ: ita enim valdè conveniens videtur. Neque propterea rejicienda eſt illa conſuetudo, quæ alicubi obtinuit, ut dictæ Imagines ad intonationem *Hymni Angelici* detegantur.

ad Miſſam ſolemnem cantandam (a). Sub finem Litaniarum, quando Chorus ſolemnitèr(b) cantare incipit *Kyrie*, proceditur, ùt mos eſt, ad Altare pro Miſſâ ſolemni: præcedit Thuriferarius cum thuribulo, & Acolythus cum navicula: deinde ſequuntur Ceroferarii cum luminibus (c), poſt hos (d) Miniſtri, ac tandem Celebrans, qui, factâ

(a) Libellus hic loquitur in ſuppoſitione, quòd in Choro ſe parent Celebrans & Sacri Miniſtri. Si autem ſe parent in Presbyterio, recole, quæ notata fuêre ſuprà.

(b) cum pauſa convenienti cantatur, ut detur tempus Celebranti faciendi Confeſſionem, & poſtea incenſandi Altare, ac dicendi etiam *Kyrie* cum Miniſtris Sacris in cornu Epiſtolæ more ſolito, antequam Chorus ceſſet à cantu.

(c) ſi verò Celebrans vel retrò Altare, vel in loco Altari viciniori v. g. extrà in Presbyterio ſumpſerit paramenta, tunc accedunt ad Altare Ceroferarii, non deferentes Candelabra. Juxta tamen morem communiorem Clericorum Regularium & aliarum Eccleſiarum, exeunt è Choro, qui eſt retrò Altare, Ceroferarii cum candelis accenſis, prout ordinatur in hocce Libello.

(d) venit Cæremoniarius ſolus, omnes nudo capite, poſtea Miniſtri, videlicet Subdiaconus & Diaconus, unus poſt alium, ac tandem Celebrans &c.

ctâ ab omnibus in medio Presbyterii genuflexione, ſtatim biretum tradit Diacono, illud cum oſculis recipienti. Poſtea inchoat Miſſam, ſub qua incenſatio fit Altaris: dein reliqua peraguntur atque miniſtrantur more conſueto. Denique idem Celebrans, poſtquam à Diacono fuerit incenſatus, dicit cum Miniſtris *Kyrie* in loco, ubi aliàs dici ſolet *Introitus* (a). Poſt decantatum novies *Kyrie* à Choro, Celebrans (b) incipit intonare ſolemnitèr *Gloria in excelſis Deo.* Intonatô illô Hymnô Angelicô, pulſantur Organa (c) cum om-

(a) non dicitur *Introitus*, quia ex una parte populus jam ſupponitur adunatus, utpote redux vel à Proceſſione de *Fonte baptiſmali*, vel, ubi non eſt Fons; à Proceſſione *Lumen Chriſti*: ex altera parte Sacerdos ſtatim ad Altare procedit, quin ſe ab adſtantibus expectari permittat.

(b) pergit ad medium Altaris & dein incipit &c.

(c) ubi ſunt.

nibus omninò Campanis (a), ſicut Feria V. in Cœna Domini. Poſtquam deſierit ejusmodi ſonitus (b), Chorus reſu-

(a) majores tamen campanæ exiſtentes in Turri campanariâ non debent pulſari, niſi poſtquam pulſatæ fuerint campanæ Eccleſiæ Matricis, ſcilicet principalis in eo loco, etiamſi eſſet tantùm Parochialis; quod verificatur reſpectu Eccleſiarum ſive Regularium, ſive Confratrum. Hinc fit, ut hoc ſolemne ſignum in campanili detur aliquando longè poſt Hymnum *Gloria in excelſis &c.* in Eccleſia decantatum. Hæc omnia certa ſunt ex pluribus S. R. C. Decretis infrà *in Appendice Decretorum* relatis. Excipitur tamen caſus immemorabilis conſuetudinis, vi cujus Religioſi ſemper & continuò conſueviſſent ad libitum in dicto Sabbato Sancto pulſare campanas, quin priùs pulſatæ fuiſſent in Cathedrali, vel Matrice: tunc enim retinenda eſt ejusmodi conſuetudo, ût ex pluribus Rotæ Deciſionibus apud Tamburinum de *Jure Abbatum* conſtat. Interim tamen, ſi ad *Gloria in excelſis &c.* ventum jam fuerit, & in Eccleſia Matrice campanæ pulſatæ nondum ſint, nec dicta immemorabilis conſuetudo ſuffragetur: pulſantur ex *Gerlaco Vinitore* campanulæ ſeu tintinabula, quæ ſunt in Eccleſia & Capellis.

(b) videlicet campanularum & Organorum intra fines Eccleſiæ exiſtentium: campanarum ſiquidem in campanili exiſtentium ſonitus ſaltem juxta Gerlacum Vinitorem protrahi deberet uſque ad finem prædicti Hymni *Gloria in excelſis.*

reſumit Hymnum, eúmque de more proſequitur (a).

3. Lectâ Epiſtolâ, Celebrans (b) legit ſimilitèr ter *Alleluja*, ℣. & *Tractum*: deinde manens in eodem loco expectat Subdiaconum, qui cantatâ Epiſtolâ, accedit ad accipiendam benedictionem, manúmque Celebrantis oſculatur. Poſtmodùm idem Celebrans converſus ad Miſſale, ter intonat *Alleluja* (c), ſemper elevans vocem gradatim, & Chorus poſt quamlibet vicem idem in eodem tono reſpondet. Tum Celebrans tranſit ad dicendum *Munda cor meum &c.* & Evangelium, Subdiaconô Miſſale transferente ad latus Evangelii, eíque ibi aſſiſtente. Debet autem cantari lentè ℣. & *Tractus*, ut interim Celebrans

(a) peraguntur omnia, ùt in aliis Miſſis, & ad Orationem Chorus non genuflectit.

(b) vel, ùt alii non minùs rectè præſcribunt, lectâ Epiſtolâ, expectat Celebrans, & decantatô ter, ùt infrà, *Alleluja*, legit ℣. & *Tractum*.

(c) in cornu Epiſtolæ.

commodè poſſit, non ſolùm legere Evangelium, ſed inſuper benedicere incenſum & Diaconum. Ad Evangelium non deferuntur Luminaria, Acolythi nihilominùs aſſiſtunt manibûs junctîs, medium habentes Subdiaconum (a). Incenſum paritèr miniſtratur, & Diaconus in principio ſignat ſeipſum, ac Librum, quem etiam incenſat, ſicut & Celebrantem in fine, poſtquam hic oſculatus fuerit Librum, à Subdiacono delatum. Deinde Celebrans dicit, *Dominus vobiſcum* (b): quo dicto, Subdiaconus vadit ad credentiam, & ſumit

(a) & ſignant ſe cum Diacono, cùm non teneant Candelabra.

(b) poſtea *Oremus.*

ſumit Calicem. (a). Reliqua demum de Miſſa fiunt, ùt moris eſt; exceptô duntaxat, quòd *Offertorium* non dica-

 tur

(a) poſt redditum Librum Cæremoniario ſecundo (ſi ſint duo) vel Acolytho, & factâ inſuper in medio plani genuflexione Altari, ac inclinatione Choro, ſi is ſit ante Altare; Subdiaconus vadit ad credentiam, ex qua, præpoſitô ſibi velô humeralî de more, ſumit Calicem unà cum burſa corporalium, & ſubſequente Acolytho cum ampullis, eum portat ad Altare. Diaconus verò ſtans ad dexterum latus Celebrantis accipit burſam, & vadit ad medium, ubi erat Celebrans, qui pergens aliquantulùm versùs cornu dexterum Altaris, cedit ei locum, ut extrahat, & extendat Corporale, ac reponat burſam ad locum ſuum de more. Dein recedit Diaconus, & Celebranti juxta ſolitum patenam porrigit.

tur (a), & *Pacis oſculum* non

(a) dicitur *Lavabo*, ac in ejusdem fine *Gloria Patri &c.* Incredibile dictu eſt, quantum hîc laborent Sacrorum Rituum Expoſitores in aſſignanda cauſa, cur hac die *Offertorium* in Miſſa omittatur. Alii cum Gavanto ad myſticam interpretationem recurrunt, quia videlicet *mulieres ſub ſilentio ibant cum aromatibus ad ſepulchrum*. alii Litterali inſiſtentes ſenſui, ſupponunt, nullas antiquitùs fuiſſe factas à Fidelibus publicas Oblationes, quia, ùt iterùm ſibi perſuaſum habent, in Miſſa hujus Sabbati nulla interveniebat Communio, niſi ſolius Celebrantis; vel ſi etiam aliqui ex prioribus Sanctis ad ſacram Synaxin, & conſequentèr ad Oblationes prævie faciendas admitterentur, id duntaxat quaſi privatim, *ſine cantu, & ſub ſilentio*, tranſigebatur: prout ex Walfrido Strabone & Bernone Abbate Augienſi deducit P. D. Franciſcus Berleudi Cler. Reg. vulgo Theatinus, ſingularî vir doctrinâ, in erudititiſſima Diſſertatione, quam nuper de *Oblationibus ad Altare* in lucem edidit. Meratus tandem cum aliis non modicæ eruditionis viris rem ab ovo repetens, pro aris & focis ſuſtinet, in hac Miſſa ſicut publicam Fidelium Communionem, ita Oblationes quoque publicè factas: at varias, quæ juxta diverſitatem Eccleſiarum & Liturgiarum in recipiendis & offerendis Oblationibus populi adhibebantur, formulas in Miſſa hodierna prætermiſſas fuiſſe, & quidem non ex alia, niſi prolixitatis vitandæ causâ: multum ſiquidem temporis impendebatur in exercenda hac functione Oblationum: ubi econtrà hac die tot aliæ functiones fuerunt peragendæ. hunc poſtea morem omittendi *Offertorium* Eccleſia perpetuò retinuit.

detur (a).

4. Poſt ſumptionem Sacramenti Thuriferarius ingreditur ad accipiendum thuribulum cum navicula, & ſtatim iterùm egreditur in Presbyterium. Dignior autem in Choro intonat (b) antiphonam *Alleluja* (c), qua expletâ, Cantores inchoant ſolemnitèr Pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, & Chorus eum proſequitur, repetendô in fine antiphonam. Interim Celebrans, factâ ablutione, in cornu Epi-

 ſtolæ

(a) juxta Ritum Romanum. Quamvis verò in hac Miſſa *Agnus Dei* non dicatur, nec *Pacis oſculum* detur, Subdiaconus tamen tranſit ad dexteram Celebrantis ad diſcooperiendum Calicem. Quoad antiphonam, quæ *Communio*, & Orationem, quæ *Poſtcommunio* dicitur, Meratus quidem opinatur, ac ex *Sacramentario Gelaſiano* infert, utramque olim recitatam fuiſſe, dum publica adhuc fiebat populi Communio: nunc autem locò *Communionis* & *Poſtcommunionis* dicuntur immediatè Veſperæ, quæ ſimul pro gratiarum actione habentur, ùt Rubriciſtæ advertunt.

(b) annuente Magiſtro Cæremoniarum, vel ubi moris eſt, Cantore ſive alio unà cum Cæremoniario ſecundo ſive alio ad eundem Digniorem cum debitis reverentiis accedente, ac dictam antiphonam *Alleluja* præintonante intonat &c.

(c) abſque ſigno Crucis.

ſtolæ dicit eandem ſubmiſsâ voce (a), ſubjungens Pſalmum, Miniſtrîs aſſiſtentibus, ùt ad Introitum Miſſæ (b). Poſtmodùm idem Celebrans ſtans in eodem loco, intonat voce altâ (c) antiphonam: *Veſpere autem Sabbati*: quam ipſe (d) ſubmiſsâ voce complet, Chorô eandem proſequente in cantu. Mox verò, quando à Cantoribus intonatur

Ma-

(a) & retentâ planetâ.

(b) Subdiaconus poſt àblutionem àccommodat ac reportat de more Calicem ad credentiam, ſupra quam eum collocet velô expansô, ac eundem in interiori parte totalitèr cooperiente ex *Decreto* S. R. C. 1. Martii 1698 emânato, & infrà in *appendice Decretorum* poſitô ſub num. 61.

(c) in cantu.

(d) unà cum Miniſtris ſacris.

Magnificat (a); miniſtrante naviculam Diaconô, Sacerdos in medio Altaris imponit thus in thuribulum (b), & incenſat Altare, ùt aliàs in Veſperis; cum addito præterea, quòd Diaconus, acceptô à Celebrante thuribulô, eum ter incenſet in cornu Epiſtolæ (c), dein Chorum, ultimò Subdiaconum (d). Tandem redditò thuribulô Thurifera-rio,

(a) Celebrans ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ ſe ſignat de fronte ad pectus de more. utrùm autem omnes alii de Choro tunc, quando intonatur Canticum *Magnificat*, ſe, ſicut Celebrans, ſignare etiam debeant, ſub judice lis eſt. Bauldry p. 2. c. 11. art. 4. n. 31. affirmat, nixus auctoritate Cæremonialis Epiſcoporum l. 2. c. 3. Attamen P. D. Franciſcus Maria Maggio Cler. Reg. Theat. *opuſc. 3. de Offic. Chor. diſq. 9.* expenſis ac trutinatis exactè verbis cit. Cæremon. nec minimum veſtigium talis ordinationis reperit. Reliqui verò Rubriciſtæ communitèr negant, aut nihil omninò habent de ſigno Crucis, quando intonatur *Magnificat*, ab aliis quàm à Celebrante faciendo. Statim dein Celebrans cum Miniſtris accedit ad medium Altaris, ubi miniſtratur incenſum.

(b) illud benedicens.

(c) ſtante Subdiacono à ſiniſtris ejus: ùt in Introitu Miſſæ.

(d) more ſolito.

rio, hic Diaconum (a), Acolythum, ac populum incenſat (b).

5. Celebrans, poſtquam fuerit incenſatus, in cornu Epiſtolæ (c) dicit cum

(a) ſtantem à dextris Celebrantis in cornu Epiſtolæ in ſecundo gradu Altaris, facie ad Thuriferarium versâ.

(b) contendunt hic Doctores inter ſe, an Diaconus, poſt incenſatum Chorum, redire debeat à latere Epiſtolæ, aut à latere Evangelii ad incenſandum Subdiaconum. P. Merati, ùt ſolet, ſoliđiſſimè propugnat, eum à latere Epiſtolæ redire debere. Econtrà verò Caſtaldus in *Cærem. Cler. Reg.* *l.* 1. *c.* 29. *n.* 14. Flumara in *Cærem. Cler. Reg. Minor.* cum aliis putat, redeundum eſſe á latere Evangelii. Quidquid tamen hac de re ſit: magis profectò congruum, ac functioni exercendæ connaturale videtur, ut Diaconus juxta priorem ſententiam à latere Epiſtolæ redeat, & Subdiaconum ex eodem latere ſtantem ibidem incenſet: quamquam etiam poſterior ſententia locum habere poſſit in illis præſertim Eccleſiis, ubi conſuetudo id poſtulaverit. Antequam Diaconus, incenſatô Celebrante, diſcedit ad incenſandum Chorum, ſecundùm pleroſque Rubriciſtas, genuflexionem ibi in latere Epiſtolæ facere debet: licèt alii conſuetudinem, eam non faciendi, minimè improbent. Item tam Diaconus quàm Subdiaconus duplici ductu juxta communiorem incenſantur.

(c) ùt ad Introitum Miſſæ: & illuc etiam accedere debet Diaconus poſt incenſationem.

cum Subdiacono *Magnificat*, & repetit ibidem antiphonam: qua etiam à Choro repetitâ, accedit ad medium Altaris (a), & converſus ad populum dicit: *Dominus vobiſcum.* Dein in cornu prædicto proſequitur Orationem, poſt quam in medio iterum, & quidem ultimâ vice cantat: *Dominus vobiſcum*: Diaconus verò, converſus more ſolito ad populum, dicit feſtive: *Ite Miſſa eſt* cum *Alleluja.* Denique datâ à Celebrante benedictione, lectôque Evangeliô S. Joannis, redeunt omnes in Sacriſtiam (b), præcedentibus Acolythis, ac Ceroferariis cum luminaribus accenſis; ubi advertendum eſt, quòd Ceroferarii neutiquam ad *Magnificat*, ſed ad initium ultimi Evangelii ad accipien-

(a) repetitâ antiphonâ à Choro, Miniſtri Sacri ſe locant unus poſt alium retrò Celebrantem in recta linea, & hôc modô procedunt cum eodem ad medium Altaris more ſolito.

(b) juxta ſolitum.

cipienda ſua Candelabra in Presbyterium egredi (a) debeant (b).

AP-

(a) vel, ſi Ceroferarii jam eſſent in Presbyterio, aut Chorus exiſteret ante Altare, eodem tempore ultimi nempe Evangelii ad accipienda ſua Candelabra accedunt.

(b) Cereus Paſchalis juxta Sacr. Rit. Interpretes accenditur, quoties ſolemnitèr celebratur Officium: videlicet Sabbatô Sanctô ad Miſſam uſque in finem, & ad Completorium. In die ſancto Paſchæ ad Matutinum totum & Laudes, ad Miſſam ſolemnem, Veſperas, & Completorium. Eòdem prorſus modô accenditur Sabbatô & Dominicâ in Albis, atque in aliis Dominis ac Feſtivitatibus omnibus totô tempore Paſchali occurrentibûs, in quibus Veſperæ ac Miſſa ſolemnitèr celebrantur. Item in Miſſis Votivis ſolemnibus pro re gravi, dumodo non adhibeatur color violaceus: unde non eſt accendendus in Miſſis Majorum, minorúmque Litaniarum, & in aliis ſimilibus, & à fortiori accendi non debet in Miſſis Defunctorum, licèt cantatis. In Dominicis non ſolemnibus ſolent Clerici Regulares accendere Cereum Sabbatô antecedentî à Capitulo Veſperarum uſque ad Completorium; & in Matutino ſequenti ab Hymno *Te Deum &c.* uſque ad finem *Laudum*, & ad Veſperas. In die Aſcenſionis, cantatô Evangeliô, extinguitur; & completâ Miſsâ ſolemnî removetur. Cereus hic ſignificat CHRISTUM RESURGENTEM, qui devictâ per SS. Crucem & Paſſionem morte, Immortalitatis ſuæ nos luce miſericorditèr donavit.

APPENDIX
DECRETORUM,

Quæ à S. R. Congregatione circa Sacras Cæremonias Hebdomadæ Majoris ſucceſſivè edita;

Nunc verò

Ex eruditiſſimis Commentariis Reverendiſſimi ac Clariſſimi P. D. Cajetani Mariæ Merati in unum fideliter collecta, atque huic Libello adjecta fuerunt.

1. Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum, ſed quilibet debet accedere ſecundùm prærogativam ſui Ordinis. 23. Maji. 1603. in *Nolana.*

2. Conſuetudo, ut Oblationes, quæ offeruntur Cruci Fer. VI. in Paraſceve, dentur Magiſtris Cæremoniarum, ſervanda eſt. 29. Nevemb. 1603. in *Beneventana.*

3. Cæremoniale Epiſcoporum non tollit

tollit immemorabiles & laudabiles Eccleſiarum conſuetudines. 11. Junii. 1605. in *una Hiſpaniarum.*

4. Decretum de die 11. Junii 1605. quòd Cæremonialis Liber non tollat laudabiles, & immemorabiles conſuetudines, habet locum in omnibus Regnis & locis Chriſtianitatis. 17. Junii 1606. in *Elborcn.*

5. Benedictio, diſtributio Candelarum & Palmarum regularitèr poteſt fieri in omnibus Eccleſiis, tam Collegiatis, quàm Parochialibus, tam Secularibus, quàm Regularibus. 28. Aprilis. 1607. in *Oſtien.*

6. Cereus Paſchalis regularitèr accendi debet ad Miſſas & Veſperas ſolemnes in Triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis uſque ad Aſcenſionem, quo die, cantatô Evangeliô, extinguitur. Ad Matutinum, & in aliis Solemnitatibus, & diebus ſolemnitèr celebratis non accendatur, niſi adſit conſuetudo, quòd durante

tem-

tempore Paſchali accendatur. S. R. C. 19. Maij 1607. in *Placentina.*

7. In privatis Oratoriis & privilegiatis non poteſt celebrari Miſſa in Feſtis ſolemnioribus, nempe in Natali Domini, Epiphania, Feriâ V. in Cœna Domini, Paſchate, Pentecoſte, Annunciatione, Aſcenſione D. N. J. C. Aſſumptione B. V. M. Feſtô SS. Apòſtolorum Petri & Pauli, & Omnium Sanctorum. S. R. C. 17. Novembris. 1607. in *Calaguritana.*

8. In Eccleſiis Confraternitatum licitum eſt Confratribus, & reſpectivè Capellanis, facere ſolitas Proceſſiones, non tamen eo tempore, quo fiunt in Parochiali, viſitare in Proceſſione alias Eccleſias tempore Quadrageſimæ, & Adventûs; de licentia Epiſcopi audire in iis Eccleſiis concionem, benedicere Palmas, ignem & aquam in Sabbato Sancto. Ante Matricem tamen non ſunt pulſandæ à Confratriis Campanæ in eodem Sabbato Sancto. S. R. C. 9. Febr. 1608. in *Mileten. Calatri.*

9. Omnes de Clero, etiam Canonici, Euchariſtiam ſumant de manu Celebrantis in Feria V. in Cœna Domini S. R. C. 27. Septembris 1608. in *Civitaten.*

10. Benedictio Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & aliæ ſimiles actiones, quas faceret Epiſcopus præſens: eo abſente, vel impeditô, ad primam Dignitatem, non verò ad Canonicum Hebdomadarium pertinent. 21. Martii 1609. in *Piſauren.*

11. Sabbato Sancto non ſunt pulſandæ Campanæ majores, antequam ſignum datum fuerit in Cathedrali, ſeu Matrice Eccleſia. 21. Martii 1609. in *Marſicen.* 14. Novemb. 1615. in *Venuſina.* 3. Junii 1617. in *Syracuſana.*

12. Clavis Hoſtiæ repoſitæ in Feria V. Cœnæ Domini non debet dari Laico, quantumvis Nobili. 30. Januarii 1610. in *Pacen.*

13. Miſſarum ſolemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Proceſſione in ejus Feſtivitate, Candelarum, Cine-

Cinerum, & Palmarum benedictiones & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet & debet juxta formam Libri Cæremonialis Epiſcoporum, abſente, vel impeditò Epiſcopò, ad primam Dignitatem, & deficiente primâ ad ſecundam, & ſic ſucceſſivè pertinet. 25. Junii 1611. in *Civitaten.* ſeu *Sancti Severi.*

14. Cæremoniæ novæ non inducendæ, nec antiquæ immutandæ abſque expreſſa licentia, quam dare debet S. R. C. 12. Maij. 1612. in *una Urbis.*

15. Conſuetudo immemorabilis, quòd Paſſio Domini in Dominica Palmarum, & in Feria VI. Paraſceves decantetur à Canonicis, debet ſervari, non obſtante Cæremoniali, in quo diſponitur, eam à Cantoribus decantandam eſſe. 7. Julii 1612. in *Viterbien.*

16. Non poſſunt Regulares Proceſſiones facere extra Eccleſiam in Feriâ V. in Cœna Domini: nec in Feſtò Corporis Chriſti extra eorum Jurisdictio-

nem, & per Parochiam alienam. 11. Decembris 1613. in *Aretina*.

17. Cæremoniarum Magiſter in Proceſſionibus incedit apud Celebrantem & ejus aſſiſtentes, & ubique diſcurrit; quando opus eſt, pro ordinanda Proceſſione. 8. Maij 1617. in *Patavina*, & antea 30. Auguſti 1602. & 28. Novembris. 1609.

18. Dum elevatur Euchariſtia Sanctiſſima, Canonici & Clerus, ſive in Choro exiſtant, ſive proceſſionaliter incedant, ſemper debent genuflectere. 2. Maij 1620. in *Oſcen* (a).

19. Dum Horæ Canonicæ recitantur in Choro, non ſunt celebrandæ Miſſæ privatæ in Altari Majori 2. Maij 1620. in *Oſcen*.

20. In Feria VI. Paraſceves non eſt mini-

(a) ſimile Decretum à S. R. C. etiam editum fuit 14. Decembris 1602. in *Pacen.* quod ſic ſonat: *genuflectendum eſt ſemper ab omnibus tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt Proceſſiones per Eccleſiam, & contraria conſuetudo declaratur abuſus.*

miniſtranda Euchariſtia, niſi infirmis. 19. Februarii 1622. in *una de Feſto Annuntiationis* (a).

21. In Paraſceve, ſi incidat Feſtum Annuntiationis B. V. non tenentur Fideles ad Miſſam audiendam, ſeu intereſſe Officio. 19. Februarii 1622. *in una de Feſto Annuntiationis.*

22. Celebrans, qui Cineres diſtribuit, Candelas, & Ramos, detecto capite ſtet. 18. Julii 1626. in *Pientina.*

23. Abſente Epiſcopô, Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis fiat per Celebrantem. 12. Junii 1627. in *Brunduſina.*

24. Cùm Epiſcopus benedicit Cineres, debet Celebrans imponere Cineres eidem Epiſcopo, & idem ſervari debet in die Candelarum, & Palma-

O 3 rum,

(a) ſi verò Pyxis cum particulis hac Feriâ VI. in Paraſceve de uno loco in alium (uti poteſt contingere) eſſet transferenda, Sacerdos Cottâ & ſtolâ albâ, ùt Meratus cum aliis notat; non verò nigrâ, ùt vult Bauldry, uti deberet: adhibendum quoque eſſet velum humerale album & fæces, quas Clerici accenſas geſtent.

rum, juxta Cæremoniale lib. 1. in cap. de Feſto Purificationis, & de Dominica Palmarum. 12. Julii 1627. in *Brundusina.*

25. Celebrans in Paraſceve mittat particulam in Calicem ſine aliquo Crucis ſigno, neque ſe ſignet cum Calice. 28. Auguſti 1627. in *una Urbis.*

26. In Eccleſiis Regularium, habentibus Clauſtra, fiant Proceſſiones intra Clauſtra tantùm: ſi verò non habeant Clauſtra, fiant propè muros Eccleſiæ, ſive exeundo ab una porta,& intrando per aliam Eccleſiæ portam,ſive per eandem. 26. Februarii 1628. in *Hiſpalen.*

27. In Feria V. & VI. Majoris Hebdomadæ non fit Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti extra Eccleſiam. 6. Auguſti 1591. S. C. Card.

28. In Feria VI. Paraſceves non poteſt fieri nocte Proceſſio cum SS. Eucha-

charistia. ead Congreg. 22. Martii 1596. (a).

29. Non poſſunt in Litaniis inſeri alii Sancti præter ibi deſcriptos, neque

(a) Quòd ſi tamen ejusmodi conſuetudo, deferendi SS. Sacramentum proceſſionalitèr in dicta Feria VI. Paraſceves, abſque graviori incommodo extirpari non poſſet; eam eſſe tolerandam, reſpondit eadem Sacra Congregatio Epiſcoporum 3. Januarii 1582. & 29. Martii 1596. Hæc porrò conſuetudo, teſte Meratio, Venetiis adhuc viget, *peculiari utpote innixa privilegio, ut aſſeritur*. Minimè econtra tolerandam eſſe arbitror conſuetudinem illam, ſeu potiùs abuſum eorum, qui in Proceſſione pomeridiana Feriæ VI. in Paraſceve Chriſtum perſonatum ducentes, contra eum in perſona Judæorum mille ineptiarum blasphemiarúmque genera effundunt, clamoribûs, percuſſionibûs, protunſionibûs ſæviunt, ac tam indecentèr, ridiculè & ignominiosè ſe gerunt, ut populus ad cachinnos potiùs, quàm ad Chriſti patientiæ compaſſionem excitetur. Multò minùs tolerandæ ſunt ejusmodi vociferationes & indecentes actiones, quas iidemmet Judæi perſonati eâdem Feriâ VI. Paraſceves coram SS. Sacramento, juxta comunem Germaniæ morem publicè expoſito in Sepulchro, exercent, dum Proceſſio, ùt in quibusdam locis fieri ſolet, per Eccleſias tranſit. Meminerint profectò, præſente figuratò, ceſſare figuram, nec ſine graviſſima irreverentia tales debacchationes committi ibi unquam poſſe.

tempore peſtis addendi ſunt Titulares & Patroni Civitatis ſine ſpeciali conceſſione. S. R. C. 22. Martii 1631. in *Regienſi.*

30. Spinæ de Corona Domini JEſu Chriſti inter Reliquias inſignes computantur, & ſpeciali notâ & cultu dignæ ſunt. S. R. C. Junii 1632. in *Conchen.*

31. Ubi adeſt conſuetudo imemorabilis cantandi ſingulis diebûs immediatè poſt Primam, Miſſam Votivam de B. V. poteſt, exceptis ſolemnioribûs Feſtivitatibûs, tolerari, D. N. J. C. prout tolerat S. R. C. 19. Novemb. 1633. in *Valliſoletanâ Congreg. Ord. S. Benedicti.*

Feſta prædicta, in quibus non toleratur hæc Miſſa, ſunt Dominica prima Adventûs, Feria IV. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota Majori Hebdomada, Dominica Reſurrectionis & Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus, dies Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, &

omnes

omnes dies, in quibus celebrari debet peculiare Feſtum in honorem B. M. V. juxta præſcriptum in Calendario: ac dummodo diebus, in quibus celebratur dicta Miſſa Votiva, præter eandem, celebretur etiam Miſſa Conventualis ſeu diei Feſti currentis.

32. Translatô Feſtô, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia. S. R. C. 30. Decemb. 1639. in *una Capucinorum ad 7. dubium.*

Hoc Decretum poſtea confirmatum fuit die 16. Junii 1690. iisdem penè verbis in *una Ord. S. Benedicti.* Quod quidem Decretum certum eſt, quando transfertur Feſtum quoad Officium tantùm: nam, ſi transferatur quoad Officium & quoad Feriationem, ſeu quoad Forum, ſicut transfertur Feſtum Annunciationis eô annô, quo tale Feſtum occurrit in Feria ſexta Paraſceves, vel Sabbato Sancto, non deſunt, qui cenſent transferri etiam Indulgentiam, allegando Decretum S. C. Indulgen-

tiarum ſub die 2. Julii 1674. in quo declaratur, quòd ſi transfertur Feſtum quoad Feriationem & Officium, transfertur etiam Indulgentia: ſi verò quoad Officium tantùm, non transfertur Indulgentia.

33. Fer. V. in Cœna Domini Epiſcopus debet per ſeipſum miniſtrare Euchariſtiam Canonicis & Clericis, nunquam verò debet illam miniſtrare Diaconus, vel unus ex Aſſiſtentibus. S. R. C. 8. Auguſti 1643. in *Majoricana*.

34. Miſſæ Votivæ non poſſunt dici ullo modo in Dominica Palmarum. S. R. C. 14. Aprilis 1646. in *Ulyſſiponen.*

nen (a).

35. Velum, quo cooperitur Crux in Altari, ſemper debet eſſe coloris violacei, & nunquam etiam in Feria V. in Cœna Domini eſt mutandum, ùt clarè conſtat ex reſponſione S. R. C. quaſi negando ſuppoſitum ad dubium tenoris ſequentis: quo velo cooperienda ſit Crux in Altari ad functionem Lotionis pedum in Feria V. Majoris Hebdomadæ, & Crux Proceſſionis, cùm

(a) nec tamen à dicto Decreto prohibitivo impeti cenſenda eſt ſententia, qua P. D. Paulus Maria Quarti Clericorum Regularium vulgo Theatinorum Theologus *Commentar. in Rubr. Miſſal. quæſt. procem. ſect. 2. punct. 7. n. 22.* cum Tamburino *Opuſc. de Sacrif. lib. 2. c. 6. §. 1. n. 22.* ex ſolidis Theologiæ Moralis principiis ſatis probabilitèr docet, *valetudinarium, vel aliàs debilem, qui nimiùm defatigaretur in Miſſa longiori v. g. Dominicæ Palmarum, poſſe licitè in privato Oratorio dicere Miſſam Votivam de Paſſione, ne ſe & Eccleſiam privet fructu Sacrificii.* addo ego: præſertim, ſi Superiorum conſenſus accedat, ne ſibi quis nimiùm ex amore proprio aut affectatione indulgeat, & debilitatem imaginariam pro vera habeat. Si enim hæ limitationes & circumſtantiæ concurrant, non video, quidnam incommodi, vel abſurdi, vel ſcandali ſequi poſſit contra ea, quæ à Pontificiis Decretis ordinantur. In ead. ſententia eſt etiam P. Gobat. Theol. experim. tr. 3. n. 710.

cùm Sacerdos indutus ſit violaceô, & Diaconus colore albô: & actus ipſe Lotionis, ſive Mandatum præcipiatur à Rubricis fieri cum floribus & ſignis lætitiæ, & videatur participare de Feſtivitate Miſſæ celebratæ in mane cum Cruce velata albo colore, & ex alia parte ſit actus humilitatis? S. R. C. die 16. Novembris 1649. reſpondit: colorem non eſſe mutandum. in *Januen* (a).

36. Miſſa in Feria V. Majoris Hebdomadæ non poteſt celebrari in Oratoriis Confraternitatum & privatis. S. R. C. 8. Februarii 1653. in *Florentina*.

37. Miſſa Solemnis de Annunciatione B. M. V. non poteſt celebrari, quando ejus Feſtum incidit in Dominicam Palmarum. S.R.C. 10. Martii 1657. in *Placentina*.

Immò juxta recentiorem Rubricam, Tit. VI. de *Translatione Feſtorum*, non ſolùm in Dominica Palmarum, ſed etiam in tota Hebdomada Majori nequit ſolemnitèr decantari Miſſa de Titulo Eccleſiæ occurrente.

(a) Hoc Decretum illud idem eſt, quod citatur in decurſu hujus Libelli. *f.* 44. *in Notis Lit.* a.

38. Epiſcopus non poteſt perverte-re & immutare Ritum Proceſſionum præſcriptum à Cæremoniali, & Rituali Romano, neque de conſenſu Capituli. S. R. C. 26. Januarii 1658. in *Cajetana.*

39. Non licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio Miſſæ in Feria V. in Cœna Domini, nec ejusdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in Sepulchro. S. R. C. 14. Junii 1659. in *Neapolitanà.*

40. In Miſſis Ferialibus, quæ contingunt à Dominica Paſſionis ad Feriam V. Cœnæ Domini, ſi facienda obveniat commemoratio de Simplici, omittenda eſt tertia Oratio, quæ pro ſecunda aſſignatur in Miſſali, nempe *pro Eccleſia*, vel *pro Papa.* S. R. C. 22. Novembris 1659. in *una Rubricarum.*

41. Archidiacono & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Camerinenſis petentibus, an ipſis liceret plures Miſſas celebrare Feria V. in Cœna Domini, in qua cadit Feſtum SS. Annuntiationis?

S. R.

S. R. C. reſpondit, licere, & juſſit, ut à Cardinali Vicario ſingularum Eccleſiarum Urbis Rectoribus idem notificaretur. 20. Martii 1660.

42. Miſſa ſecunda de Paſſione Domini, cum *Gloria* & *Credo*, in Altari SS. Crucifixi ſingulis Dominicis, præter Reſurrectionis Domini noſtri & Pentecoſtes, non conceditur, neque poteſt tolerari. S. R. C. 2. Julii 1661. in *Toletana.*

43. Patenæ ſuppoſitio per Sacerdotem Cottâ indutum in Communione generali, quæ per Dignitates agitur, licita eſt. S. R. C. 3. Septembris 1661. in *Andrien.*

44. Miſſa Solemnis de S. Joſepho, quando ejus Feſtum incidit, in Feria II. III. & IV. Majoris Hebdomadæ non poteſt cantari, etiam ob concurſum populi, ſed debet omitti, nec poteſt in illis diebus fieri Proceſſio in ejus honorem. S. R. C. 4. Auguſti 1663. in *una Urbis*

45. Paſſio in Miſſis privatis legi debet

bet à Celebrante in cornu Evangelii; licèt in Miſſa ſolemni legatur in cornu Epiſtolæ. S. R. C. 4. Auguſti 1663. in *una Dalmatiarum*. (a).

46. In primis Veſperis Dominicæ Paſſionis, non ſolùm Cruces & Imagines Salvatoris, ſed etiam Icones Altarium, & omnes Imagines Sanctorum tegi debent. S. R. C. 4. Auguſti 1663. in *una Dalmatiarum*.

47. Dignior Sacerdos, ad quem ſpectat Candelam, Cineres, & Palmam Sacerdoti celebranti in die Purificationis, in Feria IV. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debet ab eodemmet Celebrante ſupradicta accipere ſtans, non flexìs genibûs S. R. C. 30. Auguſti 1664. in *Sutrina*.

Inhærendo Cæremoniali Epiſcoporum

(a) Item, quamvis plerumque in Miſſa ſolemni ſub Paſſione ſoleant extingui Luminaria in Altari, ùt expreſsìs verbìs ordinat Directorium Diœceſis Friſingenſis ad *Dominicam Palmarum*: nihilominùs in Miſſis privatis ad legendam Paſſionem Luminaria in Altari non extinguuntur, prout in confeſſo eſt communitèr apud omnes.

rum lib. 2. cap. 17. num. 2. hoc Decretum intelligitur de Canonicis, & ideo non derogatur per aliud ſequens Decretum datum hîc ſub num. 67.

48. Functiones Pontificales, quæ, abſente vel impeditô Epiſcopô, ſpectant ad primam Dignitatem, ſunt Feſtum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis B. M. V. Omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſiæ, Patroni Civitatis; nec non Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, Diſtributio Candelarum, Cinerum, Palmarum, Celebratio Officii Feriæ V. in Cœna Domini, Feriæ VI. in Paraſceve, Feſtum Paſchatis Reſurrectionis D. N. & Dies ſolemnis Corporis Chriſti cum Proceſſione. S. R. C. 3. Decembris 1672. in *Andrien.*

49. In exequiis Parvulorum in Feria V. & VI. & Sabbato Majoris Hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri* in Pſalmis, qui dicuntur pro conformitate

tem-

temporis. S. R. C. 16. Januarii 1677. in *Hiſpalen.*

50. Sacerdotes in die Cœnæ Domini SS. Chriſti Corpus ſumpturi poſſunt deferre ſtolam vel ante pectus, vel à collo pendentem. S. R. C. 30. Septembris 1679. in *una Capucinorum.*

51. In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſias ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda campanula ad elevationem Hoſtiæ in Miſſa privata. Quòd ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum eſt utroque genu à tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſitô SS. Sacramentô, progrediendum eſt. Similitèr; ſi alii tranſeant in elevatione Calicis. S. R. C. 1. Martii 1681. in *una Canon. Regular. Lateranen.*

52. Rubrica concedit uſus Planetarum complicatarum ante pectus Diaconis, & Subdiaconis miniſtrantibus in Miſſa ſolemni, in Cathedralibus & præcipuis Eccleſiis, in diebus Jejunio-

rum, cum limitatione, ùt ibi: in minoribus verò Eccleſiis, Miniſtris prædictis dat tantùm uſum Albæ cum manipulo Subdiacono, & cum ſtola ac manipulo Diacono S. R. C. 13. Junii 1684. in *Angepolitana*.

Ex quo ſequitur, quòd in Eccleſiis non inſignibus Regularium & Monialium, & in parvis Eccleſiis ſecularibus, etiam Parochialibus, non concedatur uſus Planetarum complicatarum. Referantur hæc ad ea, quæ dicta ſunt ſuprà *fol.* 83. *in Notis lit. a.*

53. In Sabbato Sancto, etiamſi occurrat Feſtum Annuntiationis B. V. M. Celebratio Miſſarum privatarum omninò prohibetur in quibuscunque Eccleſiis & Oratoriis, tam publicis, quàm privatis, non obſtante quacunque contraria conſuetudine, ſed unica tantùm Miſſa Conventualis unà cum Officio ejusdem Sabbati Sancti celebretur. S. R. C. 11. Februarii approbante Alexandro VIII. 11. Martii 1690.

54. Si Feſtum S. Joſeph occurrat in

Feria V. Majoris Hebdomadæ; ejus Officium transferendum erit ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta Sac. Congregationis. Cæterùm præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus, non erit transferendum, ſed ſervandum in prædicta Feria V. adeóque per Ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplendo non deſint: ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni illius diei, quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem & memoriam recolit, ſummâ religione hactenùs retentus, nullatenùs omittatur. S. R. C. 13. Septembris 1692. & habetur in Bullario particulari Innocentii XII.

55. Quando Feſtum Annuntiationis B. V. M. occurrit in Sabbato Sancto, Miſſæ privatæ celebrari non poſſunt; & Feſtum Annuntiationis trans-

 feren-

ferendum eſt ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis,tanquam ad diem propriam & fixam juxta Decretum 11. Februarii & 11. Martii 1690. Quando verò occurrit in Feria V. in Cœna Domini, ſervandum eſt Decretum generale pro Feſto S. Joſeph editum 3. Septembris 1692. S. R. C. 11. Januarii 1693. in *una Galliarum.*

56. Evangelium pro ſolemni benedictione Palmarum à Sacerdote, celebrante abſque Diacono, canendum eſt in cornu Epiſtolæ. S. R. C. 27. Aprilis 1697. in *Eugubina.*

57. In Eccleſiis tam Parochialibus, quàm non Parochialibus, ubi deeſt numerus Cantorum, non poteſt celebrari in Sabbato Sancto unica Miſſa privata locò ſolemnis, ut in eisdem Eccleſiis fiat benedictio tam Luminis & Cerei, quàm aquæ, attentîs maximè Decretîs 11. Februarii & 11. Martii 1690. prohibentibûs celebrationem Miſſarum privatarum, & unicam tantùm Miſſam Conventualem unà cum

Of-

Officio Sabbati Sancti celebrari præcipientibûs. S. R. C. 13. Julii 1697. in *Januen.*

Benedictus verò XIII. juſſit, in omnibus Parochialibus debere fieri omnes functiones ſolemnes etiam ſine numero Cantorum & Miniſtrorum, & parvum Cæremoniale pro Eccleſiis minoribus evulgari præcepit anno 1725. ac ſervari mandavit diebus Purificationis, B. V. M. Feriâ IV. Cinerum, Dominica Palmarum, Feria V. in Cœna Domini, Feria VI. in Paraſceve, & Sabbato Sanctô.

58. Benedictio aquæ in Sabbato Sancto etiam ſine infuſione olei ſancti, fieri non poteſt in Eccleſiis non habentibus Fontem baptiſmalem: quamvis uſus ſit, in hujusmodi Eccleſiis talem benedictionem fieri. S. R. C. 13. Julii in *Januen.*

59. Non eſt tolerandus uſus, qui in aliquibus Eccleſiis ſervatur, Feriâ VI. in Paraſceve incenſandi iterùm SS. Sacramentum poſt incenſationem Obla-

torum, omittendo conſuetam Crucis incenſationem, cùm ſit contra Rubricam illius diei. S. R. C. 3. Auguſti 1697. in *Panormitana.*

60. In Feria VI. Paraſceves thurificanda ſunt Oblata, ſed poſt thurificationem Oblatorum non eſt iterùm thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præſentiam non eſt omittenda thurificatio Crucis, ſed Crux & Altare thurificanda ſunt eô prorſus modô, quo fit in aliis Miſſis, non omiſsîs debitis genuflexionibûs, tranſeundo ante SS. Sacramentum. S. R. C. 5. Julii 1698. in *Panormitana.*

61. Ante verſiculum, qui dicitur Communio, cooperiendus eſt Calix velô in anteriori parte, prout ante Confeſſionem. S. R. C. 1. Martii 1698.

62. Benedictiones & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum non ſunt de juribus merè Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704.

63. Fun-

63. Functiones omnes Hebdomadæ ſanctæ non ſunt de juribus merè Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, approbante Clemente Papa XI. die 21. Januarii 1704.

64. Celebratio Miſſæ ſolemnis Feriæ V. in Cœna Domini non eſt de juribus Parochialibus, ſed ſpectat ad Parochos. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, ùt ſupra.

65. Prima Pulſatio campanarum in Sabbato Sancto non eſt de juribus Parochialibus, prout jacet, ſed ſpectat ad Eccleſiam digniorem ad formam Conſtitutionis Leonis X. S. R. C. 10. Decembris 1703.

66. Ubi adeſt conſuetudo immemorialis, licitum eſt, Spinam D. N. J. C. præſertim in Paraſceve, capite aperto, ſub Baldachino proceſſionalitèr deferre. S. R. C. 12. Julii 1704. in *una Urbis & Orbis.*

67. Dignior è Clero, à quo Celebrans in diebus Purificationis, Cine-

rum, & Palmarum recipit candelam, cineres, palmam: debet accedere ad Altare ſine ſtola, & genuflexus, ſicut alii, recipere candelam, cineres, palmam à Celebrante, & oſculari (a) manum Celebrantis porrigentis candelam & palmam &c. S. R. C. 14. Februarii 1705. in *una Capucinorum Galliæ.*

Hoc Decretum quoad ſecundam partem circa *genuflexionem* non loquitur de Canonicis, ſed de aliis inferioribus in Eccleſiis non Collegiatis juxta diſpoſitionem Miſſalis Romani, & ideo non derogat alteri Decreto ſub num. 47.

68. Non eſt toleranda conſuetudo quo-

(a) Rubrica Miſſalis à deoſculatione manûs Celebrantis in receptione Palmarum *Prælatos*, & Cæremoniale Epiſcoporum lib. 2. c. 17. excipit *Canonicos*, quòd manum alterius Canonici celebrantis in caſu, de quo agitur, non deoſculentur. Manum tamen Epiſcopi quilibet ex Canonicis, ſi ſit etiam prima Dignitas, & inſuper, ſi ſit paratus, nempe pluviali indutus, oſculari præter Palmam debet, in eâ ſive porrigendâ, ſive recipiendâ. ex Cæremon. Epiſcop. cit. lib. 2. c. 16. n. 8. & 9. apud Meratum. quod animadvertendum eſt præcipuè fol. 10. hujus Libelli.

quorundam, qui contra id, quod præſcribitur in Miſſali, exponunt patentèr Hoſtiam conſecratam reſervandam à Feria V. in Cœna Domini uſque ad ipſius conſumptionem in Feria VI. in Paraſceve. S. R. C. 14. Februarii 1705. in *una Capucinorum Galliæ.*

69. Quando dies Anniverſaria conſecrationis Epiſcopi incidit in Dominicam primæ Claſſis, infra Hebdomadam Majorem, in die Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, vel alio ſolemniori, non poteſt dici Miſſa de dicta conſecratione, ſed in ipſa Miſſa de Die fieri debet Collecta pro Epiſcopo ſub una concluſione, ùt diſponit Cæremoniale Epiſcoporum. S. R. C. 4. Aprilis 1705. in *Lycien.*

70. Epiſcopus Palmas benedicens, & Miſſæ aſſiſtens, non debet legere Epiſtolam, neque Evangelium: *cùm appropinquaſſet &c.* vel, *alterà autem die* poſt Paſſionem tam ex praxi Capellæ Pontificiæ, quàm ex præſcripto Cæremonia-

monialis Epiſcoporum. S. R. C. 28. Aprilis 1708. in *Bracharen.*

71. Dum Epiſcopus diſtribuit Candelas, Cineres, Palmas &c. Celebrans & Miniſtri debent ſedere, capitibûs coopertis. S. R. C. 28. Aprilis 1708. in *Bracharen.*

72. Epiſcopus aſſiſtens Miſſæ in Dominica Palmarum paratus, vel cum Cappa, non debet ſedere, neque genuflectere, ſed ſtare diſcoopertus, dum cantatur Paſſio, & in caſu impotentiæ debet abſtinere ab interventu ſaltem Miſſæ. S. R. C. 28. Aprilis 1708. in *Bracharen.*

73. Si Feſtum Annuntiationis B. V. M. occurrat in Feria VI. in Paraſceve, vel in Sabbato Sancto; transferatur unà cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, etiam quocunque aliô Feſtô impeditam, ita ut eadem Feria, prædicto caſu eveniente, perpetuîs futurîs temporibus pro ſede propriâ & fixâ

me-

memorato Feſto Añuntiationis aſſignata & ſtabilita intelligatur, & in illa eô prorſus modô & formâ præfatum Feſtum quoad Officium & Miſſam celebretur, quibus propriâ die vigeſimâ quintâ Martii in Calendario Romano appoſitum celebraretur, protractis ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas Breviarii Romani aliis Feſtis in eadem Feria occurrentibus, quæ non ſint altioris Ritûs. S. R. C. 11. Februarii, & 11. Martii 1690. approbante etiam Alexandro VIII.

74. Etſi ſecundùm Regulas Breviarii Romani, cùm plura Feſta æqualis Ritûs transferenda ſunt, unum ante aliud transferri debeat eo ordine, quo erant celebranda propriis diebûs: attamen, quia eô annô (de quo ſuprà 1690. 11. Februarii & 11. Martii) ſpecialis prærogativa conceſſa fuit translationi Feſti Annuntiationis B. M. V. Matris Dei, incidentis in Feriam VI. Paraſceves, vel Sabbatum Sanctum: idcircò ob ſpecialem reverentiam Domi-

nicæ

nicæ Incarnationis hoc ſpeciali privilegiò decoratur idem Feſtum Annuntiationis; nimirum, ut quotieſcunque contigerit Feſtum prædictum, etiam quoad ſolum Officium, poſt Octavam Paſchæ transferri, idem cæteris ſemper Feſtis æqualis Ritûs præponatur, licèt temporis ordine ſit in Calendario poſterius illis. S. R. C. 14. Junii 1691. in Decreto generali.

75. Si Feſtum S. Joſephi occurrerit in Feria V. Majoris Hebdomadæ, ejus Officium transferendum erit ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani, S. R. C. Decreta S. R. C. 13. Septembris 1692. in *Hiſpalen.*

76. Epiſcopi debent uti veſtibûs violaceis in die Annuntiationis B. V. M. quando occurrit in Quadrageſima, exceptâ totâ Hebdomadâ Maiorî, & Feriâ VI. non verò eo die, ad quem prædictum Feſtum transfertur in Quadrageſima. S. R. C. 8. Junii 1709. in *Bracharen.*

77. Sacerdotes tam Seculares, quàm Regu-

Regulares, etiam privilegiati, non poſſunt in Feria VI. Paraſceves occaſione SS. Annuntiationis in dicta Feria occurrentis celebrare in quavis Eccleſia ſeu Oratorio aliquam Miſſam ſolemnem, vel privatam, nec facere Feſtum, vel parare & ornare Eccleſias aut Altaria, licèt dicata Beatiſſimæ Virgini, etiam Annuntiatæ, cùm ob doloroſam Mortis noſtri Redemptoris recordationem tenendæ ſint coopertæ ſacræ Imagines, & Altaria ſpoliata, ſed tantùm debet fieri ſolita ſacra functio, prout præſcribit Miſſale Romanum, in Eccleſiis ſcilicet, in quibus Feriâ V. in Cœna Domini collocare ſolet Venerabile in aliquo Altari, vel alio decentî locô, vulgo *il Sepolcro*: & per hanc prohibitionem pro Feria VI. in Paraſceve, non poſſunt, in Feria V. in Cœna Domini & Sabbatô Sanctô celebrari Miſſæ privatæ, ſed ſolùm Conventualis juxta Ritum ſanctæ Eccleſiæ, & iterata Decreta. S. R. C. Clemens XI. 15.

Mar-

Martii 1712. in ejus Bullario particulari part. 2. Conſtitut. 17.

78. Feria V. in Cœna Domini, cùm Epiſcopus exit à Sacrorum cuſtodia ad Altare, non debent Canonici, qui eum parati aſſociant, præcedere Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos paratos, qui eum comitantur, ſed debent ſequi. S. R. C. 8. Junii 1709. in *Bracharen.*

79. Si Feſtum Sanctiſſimæ Annuntiationis inciderit in Feriam V. Majoris Hebdomadæ, præceptum audiendi Miſſam, & abſtinendi à ſervilibus, non erit transferendum, ſed omninò ſervandum in prædicta Feria V. prout in Camerinenſi, & pro Eccleſiis Almæ Urbis mandatum fuit 20. Martii 1660. adeóque per Ordinarios locorum providendum, ut eo die pro Civitatum & Pagorum qualitate, ac Chriſtifidelium in iis degentium numero plures Miſſæ privatæ ante celebrationem Miſſæ Conventualis, pro præcepti adimplemento, celebrandæ non deſint,

ſed

ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei, quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem & memoriam recolit, ſumma religione hactenùs obſervatus, nullô modô omittatur S. R. C. 12. Septembris 1716. approbante Clemente XI. 27. ejusdem, in ejus Bullario particulari part. 3. (a).

80. Quan-

(a) ex quô deducitur, Feſtô SS. Annuntiationis in Feriam V. Majoris Hebdomadæ non incidente, Miſſas privatas celebrandas non eſſe. Nihilominùs in pluribus Germaniæ locis, & quidem nominatim hîc Monachii in Bavaria apud Clericos Regulares in Electorali Templô SS. Adelhaidis & Cajetani viget praxis & conſuetudo, ut paucæ aliquæ Miſſæ privatæ in dicta Feria V. ob devotionem populi Sacrum petentis, & ſummo plerumque intereſſe non potentis, publicè apertisque januis celebrentur ante Miſſam ſolemnem. Quam porrò praxim & conſuetudinem approbant inprimis Tannerus, Layman, aliique Doctores Germani communitèr apud Gobat. *Theol. experim. tract.* 3. *n.* 219. Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *ſect.* 6. *n.* 453. & Janſen. *cas.* 94. *n.* 8. Immò torrentem Doctorum ex variis nationibus idem unà ſentientium reperies apud P. D. Zachariam Pasqualigum ex Clericis Regularibus inſignem Theologum de *Sacrif. novæ Legis tom.* 1. *tr.* 1. *quæſt.* 351.

80. Quando in Miſſa ſolemni miniſtratur ſacra Euchariſtia Clericis, vel Laicis, reliqui de Clero in Choro debent ſtare. S. R. C. 9. Maij 1711. in una *Catanien.*

81. In Sacrificio Miſſæ non eſt adhibenda Palla à parte ſuperiori drappô ſericô cooperta. S. R. C. 22, Januarii 1701. in *una Camaldulenſium Montis Coronæ.*

82. Sa-

351. *&* 354. ubi hac ſuper re cæteris fuſiùs ac nervoſiùs diſſerit, ſimúlque teſtatur, ſe vidiſſe, hanc praxim ſervari in pluribus Civitatibus Italiæ, & in ſpecie Romæ in Eccleſia S. Andreæ de Valle. Attamen, prædictô die Jovis ſacrô Miſſas privatas poſt Miſſam ſolemnem terminatam dici ampliùs non debere, omnes paſſim Doctores conveniunt: tunc enim ſtatim incipit Officium, nempe Veſperæ, Paraſceves. At obligationem iſtam, abſtinendi tunc, poſt Miſſam nempe ſolemnem illius diei, à celebratione Miſſarum, non omnes eôdem modô explicant: Barboſa ſiquidem, Caſtropalaus, aliique apud Biſſum *lit. F. n.* 44. §. 1. uti & ipſe Paſqualigus putant, eam eſſe gravem, &, ùt ajunt, *neceſſitatis.* P. Dicaſtillo econtra, & P. Joannes Præpoſitus Societatis JEſu Theologi præſtantiſſimi apud celeberrimum P. D. Antoninum Dianam Cler. Reg. Theat. Reſolut. Moral. tom. 1. tr. 1. de Celebr. Miſs. Res. 73. opinantur, eam duntaxat eſſe meræ *decentiæ.*

82. Sacerdotes in Miſſæ Sacrificio convenientiùs utuntur Cingulo lineô, quàm ſericô. S.R.C. 22. Januarii 1701. in *una Camaldulenſium Montis Coronæ.*

83. Sacerdotes non debent deferre manutergium ſuper Calicem tam eundô, quàm redeundô ab Altari. S. R.C. 1. Septembris 1703. in *Piſauren.*

84. Deficiente Subdiaconô pro Miſſa ſolemni, datâ neceſſitate, poteſt permitti per Superiores, ut ſubſtituatur conſtitutus in Minoribus Ordinibus ad cantandam Epiſtolam paratus abſque manipulo. S. R. C. 5. Julii 1698. in *Collen.*

85. Epiſcopi abuſus omnes qui in Eccleſiis aut Secularibus, aut Regularibus contra præſcriptum Cæremonialis Epiſcoporum & Ritualis Romani, vel Rubricas Miſſalis & Breviarii irrepſerint, debent omninò removere, &, ſi adversùs ea, quæ in dicto Cæremoniali ſtatuta ſunt, conſuetudinem etiam immemorialem allegari contingat; poſtquam recognoverint, aut eam non

ſatis probari, aut etiam probatam ſuffragari, utpote irrationabilem, de jure non Poſſe, executioni eorum, quæ in dicto Cæremoniali inſtituta ſunt, diligentèr incumbere debent, nec ulla ſuſpenſio, aut appellatio admittitur. Innocentius XIII. in Conſtitutione, quæ incipit: *Apoſtolici Miniſterii &c.* 13. Maij 1723. ſuper Eccleſiaſtica diſciplina confirmata à Benedicto XIII. in alia Conſtitutione, quæ incipit: *In ſupremo &c.* 23. Septembris 1724.

86. In Litaniis Sanctorum pro diverſitate functionum & temporum aſſignatis, & in illis pro commendatione animarum poſt Nomen S. Joannis Baptiſtæ ſtatim adjungi debet illud S. Joſephi, dicendo: *S. Joannes Baptiſta, ora pro nobis. S. Joſeph, ora &c. Omnes Sancti Patriarchæ &c.* Benedictus XIII. 19. Decembris 1726. in Decreto *Urbis & Orbis.*

87. In proceſſione Feriæ VI. in Paraſceve, Epiſcopo totum Officium & ſacram functionem in Pontificalibus non peragente, non ſunt à geſtantibus

haſtas

haſtas Baldachini adhibenda pluvialia, ſed solùm Cottæ. S. R. C. 15. Septembris 1736. in *Toletana*.

88. In Proceſſionibus Præpoſitò Cathedralis debetur candelà majoris ponderis, & in diſtributione Palmarum diſtincta & honorabilior Palma, quàm cæteris de Capitulo. S. R. C. 21. Aprilis 1736. in *Anagnina*.

89. Canonici & Dignitates non tenentur ad Benedictionem Epiſcopi genuflectere, ſed tantùm caput inclinare; nec debent genuflectere, quando Epiſcopum celebrantem thurificant. S. R. C. 4. Maij 1613. in *Oſcen.*

90. Non poſſunt Canonici in Celebratione Miſſæ uti Palmatoriâ, vulgò *Bugia*. S. R. C. 11. Julii 1699. in *Vincentina*.

91. Dignitates & Canonici aſſiſtentes, vel aliquô modò Epiſcopo ſolemnitèr celebranti inſervientes nunquam tenentur genuflectere. S. R. C. 15. Decembris 1632.

92. Quando SS. Euchariſtiæ Sacra-

 men-

mentum publicè diſcoopertum expo-nitur, omnes ante illud tranſeuntes cujuscunque conditionis & ordinis ſint, ſive ad illud accedentes, ſive ab eodem recedentes ſemper utroque genu flectere debent. S. R. C. 19. Auguſti 1651. in *una Urbis.*

93. Non eſt genuflectendum à Capitulo & Clerô proceſſionalitèr tranſeuntibûs ante Altare, in quo recondita eſt Reliquia S. Crucis. S. R. C. 15. Septembris 1736. in *Brixienſi.*

94. In adoratione Crucis Feriæ VI. in Paraſceve debent Celebrans & Miniſtri deponere etiam Manipulos. S. R. C. 15. Septembris 1736. in *Toletanâ.*

In extendendo hoc Decreto irrepſit forſan aliquis error Scriptoris, ùt aliquando evenit, quia ex Rubrica Miſſalis potiùs deducitur, non eſſe deponendum manipulum in dicta circumſtantia: unde opus eſt, ut hoc diligentiùs examinetur. ita exactè monet P. Meratus.

95. Poſt expoſitionem Reliquiæ ſan-

ſanctiſſimæ Crucis, vel poſt ejus delationem in Proceſſione benedicendus eſt populus cum ipſa. S. R. C. 15. Septembris 1736. in *Brixien.*

96. Reliquia SS. Crucis non eſt incenſanda à Celebrante genuflexo. S. R. C. 15. Septembris 1736. in *Brixien.*

97. In Miſſis Ferialibus à Dominica Paſſionis uſque ad Feriam V. in Cœna Domini, & infra Octavas Paſchatis & Pentecoſtes juxta reſolutiones 22. Novembris 1659. in *una Rubricarum.* 13. Septembris 1692. in *Cæſarauguſtana*, & 4. Maij 1709. in *Piſtorien.* occurrente Feſto Simplici, non eſt dicenda tertia Oratio Eccleſiæ vel pro Papa S. R. C. 15. Septembris 1736. in *una Rubricarum.*

EXPLICIT.

INDEX.

DOMINICA IN PALMIS.

DE Benedictione Olivarum. pag. 1.
De Proceſſione & Miſſa ſolemni pag. 13.
De Matutinis Tenebrarum. pag. 31.

Feria Quinta in Cœna Domini.

De Miſſa. p. 43.
De Proceſſione, Veſperis, nec non de Altaris Denudatione. p. 55.
De Mandato. p. 76.

De Feria Sexta in Paraſceve.

p. 82.
De Crucis Denudatione & adoratione. p. 96.
De Proceſſione & reliquo Officio uſque ad finem. p. 110.

Sabbatum Sanctum.

De Benedictione ignis, Proceſſione, & Præconio. p. 139.

De

De Litaniis, Miſſa, & reliquo Officio.
p. 175.
Appendix Decretorum. p. 195.

Laudetur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum: & ſit benedicta ſemper ab omnibus B. MARIÆ Virginis Puritas, & Immaculata Conceptio.

Errata.	*Corrige.*
f. 58. n. 3. lin. 18.	
geflectunt.	genuflectunt.
f. 77. lin. 15.	
latiore.	Diaconali.
f. 129. in Notis lit. d. lin. 6.	
auſſumit.	aſſumit.
f. 145. n. 3. lin. 1.	
inde.	Non procul inde.
f. 165. in Notis lit. a. lin. 11.	
Senenſis.	Senonenſis.
f. 190. in Notis lit. b. lin. 4.	
interiori.	anteriori.
f. 194. in Notis lit. b. lin. 8.	
Dominis.	Dominicis.

f. 2. n. 2. & f. 22. n. 8. ubi & f. 83. n. 1. adde quoad manipulos, quibus Cantores Paſſionis pariter induti eſſe debent; nempe quòd nullatenùs dubitandum ſit, eos, qui cantant Paſſionem, dictis Manipulis uti debere, quamquam P. Caſtaldus nec ad *Dominicam Palmarum*, nec ad *Diem Paraſceves* de illorum uſu pro præfatis Cantoribus quidquam præſcribat: expreſſa enim de eiſdem Manipulis pro caſu, de quo agitur, fit mentio in Cæremoniali Epiſcoporum lib. 2. c. 21. n. 4.

fol. 80. *in Notis lit. a.* adde ſequentia: Plures nihilominùs reperiuntur Eccleſiæ, quæ duodecim vel pauperibus, vel aliis pedes lavant: quin & doctiſſimus Joannes Mabillonius Monachus Ord. S. Benedicti in Gallia plures Ordines Romanos in medium producit, ubi mentio tantùm fit de duodecim, quibus Papa, vel de ipſius mandato alius pedes lavabat. Quælibet ergo Eccleſia in ſuo uſu maneat. Apud Clericos Regulares adhibentur communitèr tredecim lavandi, qui tectis capitibûs ad Lotionem ſedent.

f. 159. *in Notis lit. b.* adde, quòd Diaconus petens benedictionem ad cantandum *Exultet*, non dicat Orationem *Munda cor meum*.

f. 194. *in Notis lit. b.* adde, quòd Cereus Paſchalis duobûs ſequentibûs poſt Dominicam Reſurrectionis diebûs, ſicut in aliis ſolemnitatibus, & Dominicis tempore Paſchali recurrentibûs apud Clericos Regulares conformiter ad mentem P. Caſtaldi, non ſolùm ad Miſſam, Veſperas, & Completorium, ſed etiam ad Laudes accendi ſoleat, ita videlicet, ut ad Hymnum *Te Deum &c.* jam ardeat.

f. 203. *in Notis lit. a.* adde, quòd Feretrô nigris velleribûs contectô, Baldachinô item, & paramentis nigri coloris utendum ſit in memorata ibi Proceſſione, quæ Feriâ VI. in Paraſceve cum SS. Sacramento fieri permittitur duntaxat ex conſuetudine, cui extirpandæ graviora incommoda obſtant.

f. 190. *in Notis lit. b.* & in *Appendice Decretorum num.* 61. allegatur Decretum à S. R. C. 1. Martii 1698. emanatum, quod eſt tenoris ſequentis: *ante verſiculum, qui dicitur Communio, cooperiendus eſt Calix velô in anteriori parte, prout ante Confeſſionem.* Contrarium P. D. Franciſcus Maria Maggio, ex Presbyteris Theatinis doctrinâ & zelô Domûs Dei plenus, aſſeruit in *Galateo Religioſo diſquiſit.* 30. *n.* 4. teſte P. D. Jacobo Gravina ejusdem Inſtituti ac ponderis viro, inter primos meritò noſtri ævi Theologos connumerando, in *Synopſi Theol. Vet. Patr. de SS. Trinit. f.* 227. *n.* 500. At contrarium, *velum* nempe *poſt Purificationem ſupra Calicem in anteriori parte reclinandum eſſe*, religioſiſſimus Scriptor, non levibûs licèt ſuffultus rationum momentis, profectò non aſſeruiſſet, ſi prædictum S. R. C. Decretum vidiſſet. Videre autem illud non potuit, quia ſuum *Galateum* anno 1684. vitam verò 1686. longè ante publicationem memorati Decreti jam abſolverat, prout auctor nobis eſt P. D. Cajetanus Maria Cottonus Clericus item Regularis in catalogo *Scriptorum Theatinorum Venerabilis Domûs Panhormitanæ S. Joſephi*, quem anno 1733. Panhormi in Sicilia pereruditè contexuit, ac publici juris fecit. Hæc cùm *f.* 190. & *num.* 61. *DD.* prætermiſſa fuerint, hîc peculiaritèr addenda eſſe cenſui, ne paſſim prælaudati P. Maggii ſententia de *velo in fine Miſſæ ex anteriori parte ſupra Calicem revolvendo* in praxim deducatur.

MAG 2012454

Digitized by Google